



IO. VALENT. FRANCKII

PHILOS. D. ET SCHOLAE FLENOPOLITANAE COLLEGAE TERTII

EXAMEN CRITICUM

D. IUNII IUVENALIS

VITAE.



ALTONAE ET LIPSIAE,

SUMPTIBUS I. F. HAMMERICH.

cIↃIↃcccxx.



GE. SAM. FRANCKIO

THEOL. D. ET PROF. P. O. KILIENSI

PATRI SUO

S. P. D.

IO. VAL. FRANCKIUS.

Nolueram, optime pater, scriptum aliquod meum nomini tuo ante inscribere, quam librum absolvissem, cuius et is esset ambitus et ea argumenti gravitas, ut hactenus certe te non indignum pietatis meae monumentum posset haberi. Verebar enim leve munusculum tibi offerre, qui non solum amore plus quam paterno a prima pueritia me prosecutus esses, sed iis etiam abunde me affecisses beneficiis, quae parentes non possunt tribuere filiis nisi docti, docti autem rarissime tribuunt; qui non gravatus esses iam puero mihi prima litterarum tradere elementa, licet parum otii praeberet scholae Husumensis, cui tunc insigni sane cum laude praeeras, rectoris munus; qui mox Sonderburgum tecum

profectum erudiendum tibi sumpsisses sola, dum sexennio post academiam peterem, domestica disciplina; qui postea quoque academiae Kiliensis professorum auditoria per quinquennium frequentantem tam scholis tuis, non philologicis quidem illis, sed profecto a philologia haud alienis, quam sermonibus ac librorum copia egregie adiuvisses; qui denique per trium et dimidii annorum spatium, eadem mihi in academia post acceptos te rectore summos in philosophia honores docendo exactum, nunquam, si quos tecum vel de rebus meis vel de litteris sermones conferrem, neque consilio defuisses neque doctrina. Noram equidem, exiguo munere te fore contentum, gratumque potius animum, quam libri gravitatem, spectaturum esse: sed nihilo minus, quum librum, qualem animo conceperam, de rebus quidem Homericis, certe intra novennium illud Horatianum ad finem perducere me posse sperarem, exspectandum putabam, dum hunc tibi possem dicare. Verum enimvero spes illa in dies magis est imminuta. Nam quum vel scholarum mearum causa in diversissimi generis scriptoribus variisque antiquitatis partibus diligentius mihi esset versandum, ubique autem amplissimam reperirem discendi materiam: factum est, ut et raro omnino ad scribendum accederem, et rarius etiam ad Homerica mea redi-

rem. Quid? quod nuper in munus scholasticum delatus sum, in quo nec satis otii suppetit ad eiusmodi librum paucorum annorum spatio absolvendum, et paullatim demum comparari poterunt libri maxime necessarii. Quem mihi secessum etsi iucundum reddunt quum alia multa, tum collegarum doctissimorum aliorumque civium meorum amicitia, diligentia et obsequium discipulorum, atque etiam ipsa muneris ratio, quod plurimum temporis adolescentibus non iam in primis litterarum elementis haerentibus tribuere, si non postulat, at certe permittit: est tamen eiusmodi, in qua nunc versor, conditio, ut non abiiciendum quidem, sed differendum sit illud consilium, et tantisper acquiescendum in edendis scriptis minoribus. Quare nunc diutius non sustineo, ne tibi offeram, quicquid ex hoc genere in promptu est. Accipe igitur Iuvenalis Vitae examen criticum, subsicivis temporibus animi causa conscriptum, maximeque ad fictum pertinens poetae exsilium. Res tenuis, fateor: sed si quis inutilem dixerit operam, provocans ad Lessingianum illud, a Mansone etiam in Vita Bionis et Moschi usurpatum, poetae Vitam esse eius poemata, non deest responsum, ipsum Lessingium, quum ubique, tum in praeclara Sophoclis Vita, satis superque declarasse, quam cara

sibi, quam sancta essent vel minutissima quaeque vestigia, unde erui quicquam posset, quod ullo pacto ad insignem aliquem virum pertineret, seu rebus gestis sive ingenio clarum. Quin etiam melius merentur de re litteraria, qui leviora scriptoris cuiusdam vitae momenta acri iudicio eoque critica quadam arte temperato atque subacto vel vera, sed obscura, in lucem protrahunt, vel ficta aut depravata explodenda proponunt aut corrigunt, quam qui graviora, sed trita ac pervulgata, recoquunt mutatis verbis. Nec sane tu is es, mi pater, qui parva contemnas, modo ad universam, cuius particulae sunt, antiquitatis cognitionem referantur, aut qui rem solam, non etiam argumentandi modum spectes. Quanquam tua ipsius scripta in rebus fere gravioribus versantur, veluti, ut philologica tantum commemorem, liber ille, quem Germanice scripsisti de ingenio et argumento Ciceronis librorum de Natura Deorum, merito laudatus, ut ante ab Heynio aliisque iudicibus idoneis, ita etiam nuper a Wolfio, viro summo, nec plane neglectus a nupero editore Heidelbergensi; itemque eiusdem generis commentationes nondum collectae de disputationibus Tusculanis. Quibus in scriptis quae generatim disputasti de Ciceronis philosophandi ratione, profecto et gra-

vissima sunt et verissima magnaque ex parte mirifice conspirant cum iis, quae eadem de re disseruit princeps criticorum in libro de licentia in rebus divinis diiudicandis Anglice contra Collinum scripto, cuius postea demum tibi facta copia est. Verum ut revertatur ad exsilium Iuvenalis oratio, sunt etiam peculiaria quaedam, quae illius examini non modo ad omnem Vitae temporum rationem, sed ad iudicium de similibus etiam commentis ferendum momentum haud parvum concilient. Sed haec, quae in ipsius commentationis exordio attigi, hic praetereo. Ad argumentandi viam ac rationem quod attinet, una perpetuaque argumentorum serie rem conficere studui, nihil moratus eos, qui notis, quas vocant, et excursibus argumentationem in frusta quasi discerpi volunt. Narrationem de vita poetae exhibere si operae pretium fuisset, et haec si vel testimoniis simpliciter afferendis vel rationibus breviter expositis firmari potuisset: noluissem sane receptis in ipsam narrationem testimoniis et argumentis illius lectionem turbare et interrumpere. Nunc vero, quum satius esset, non Vitam, sed Vitae examen scribere, in hoc autem ad quaestionem de exsilio redirent omnia, plus tribuendum iis putavi, qui argumentationem quamvis longam ita legunt, ut nonnisi ponde-

rato omni ex parte uno argumento ad aliud procedant, omniumque coniunctionem ipsi perspiciant, quam iis, qui aut potiora tantum cognoscere, aut prima saltem lectione, quo scilicet haec facilior sit, in potioribus subsistere cupiunt. Quisquis enim tali indiget lectionis adiumento, omnino vix leget huiuscemodi disputationem; idoneis autem iudicibus facilior est continuae argumentationis lectio, quam distractae quasi ac dissipatae. Ceterum te, carissime pater, et res nostras dei optimi maximi, quam adhuc experti sumus, curae commendo. Vale, et me ama.

Scripsi Flenopoli a. d. VII. Id. Sept. natali tuo, a. cIↄIↄcccxix.

Quae levior per se in Vita Iuvenalis quaestio est, de exsilio eius et itinere in Aegyptum, eadem tamen principem in hac disputatione locum, quem ob maximam coniunctionem cum universa vitae temporum ratione adhuc obtinuit, nunc alio etiam nomine sibi vindicat optimo iure. Est enim omnis narratio ista de exsilio poetae nil nisi fabula ficta et commenticia, quales per totam et Graecam et Romanam antiquitatem tum sunt animadversae, tum poterunt animadverti innumerae, sed nulla facile hoc quidem in genere, quae aeque eluserit tantos viros. Nimirum Lipsius, Salmasius, Dodwellus, Oudendorpius, alii, certantes magno cum acumine de tempore ac loco huius exsilii definiendo, dissentientes etiam de itinere, quod e versibus quibusdam interpolatis efficitur, Aegyptiaco, essetne diversum hoc ab exsilio necne, omnes de fumo, ut aiunt, disceptaverunt. Et est quidem ista fabella insigne ac memorabile documentum narratiunculae ortae apud Romanos quoque e grammaticorum quaestio-

nibus, de quibus Alexandria inde Romam traductis non ignoti sunt quidem ipsius Iuvenalis et Bibaculi versus mox proferendi, sed ita, ut nullum, quod equidem sciam, fructum habuerit ea cognitio, quippe qua usi non sint viri eruditi in examinandis Latinorum grammaticorum narrationibus. Quare vel hanc ob causam, ne intacta diutius iacerent eius generis commenta, tanti esset, ut arbitror, illud unum eorum, quod fraudi fuit etiam summis viris, dedita opera confutare, etiamsi non ea, quam vitae χρονολογίαν Graeci vocant, hinc tota penderet. Haec vero tantum abest, ut nostra disputatione labefactetur, ut multo, quam adhuc fuit, iam certius fiat, quando natus sit Iuvenalis, quando et scribendi et recitandi initium fecerit, quando denique sit vita defunctus. Quibus constitutis absoluta erit pars praecipua quaestionis nostrae; nam reliqua haud paullo brevius pertractare licebit. Omnino non Vitam Iuvenalis, sed Vitae ἐπίκρισιν scribere instituimus, ex qua Vitam ipsam, si modo tam tenuis et exilis, quam quae hodie dari potest, notitia digna est Vitae nomine, quivis ipse, si ita videbitur, sibi contexat.

Priusquam vero ad summam quaestionis, ad disputationem de exsilio et aetate poetae, accedo, monendum est, subdubitasse de fide commenti illius iam Petrum Crinitum atque incertum quendam apud Achaintrium Vitae scriptorem, quorum tamen iudi-

cia, ut nobis ignota erant, quum primum eodem iam fere modo, quo nunc argumentabimur, nunquam neque exsulasse Iuvenalem, neque in Aegyptum profectum esse, ostendere conaremur, de edenda qualicunque hac commentatione nondum cogitantes; ita etiam nulla nituntur ratione idonea. Dixit autem P. Crinitus de Poetis Lat. IV. 69: *Quidam grammatici tradunt, eundem accessisse ad ultimam senectutem, et in remotissimam Aegypti partem missum a Caes. Domitiano sub praetextu demandatae dignitatis, ibique senio confectum ac nimio vitae taedio periisse: quod ego nondum reperio apud eos auctores, qui pro receptis ac fide dignis habentur.* At enim, si variae de exsilio discrepantes inter se narrationes derivari recte possunt ex illa omnium antiquissima Iuvenalis Vita, quae Suetonio vulgo tribuitur, quae quidem plura sine dubio continet ab aequali quodam Iuvenalis primum memoriae prodita; si non solum Sidonius Apollinaris, cuius qui huc referuntur versus quin ad Iuvenalem vere pertineant, ne nos quidem dubitamus, hunc exsulasse affirmat, sed ipse Iuvenalis se in Aegypto fuisse scribit; si denique res per se non est incredibilis, quae omnia pro compertis haberi solent: quid, quaeso, tum valebit suspicio ista? Nec loquitur ille nisi de Iuvenale in exsilium misso a Domitiano, quae sola cognita fuit opinio ante Salmasium, referentem ad Hadriani tempora

poetae exsilium ex Vita Suetonio assignata. Similis mota dubitatio est ab auctore Vitae, quam postremam exhibuit Achaintrius in edit. Iuven. T. II. p. 4. seq. nescio ubi repertam. Quod quum imprimis significandum fuisset, caremus tamen tali indicio minus aegre propterea, quod illud saltem vix quemquam fefellerit, esse eam nec grammatici veteris nec monachi, sed viri docti aetate renascentium litterarum. Sed is, quisquis fuit, primum ex locis ipsius poetae compluribus bene demonstrat rem, de qua hodie inter omnes convenit, scripsisse poetam post mortem Domitiani; deinde sic pergit: *Qua vero aetate quove loco mortuus fuerit, quum certi nihil habeatur, aliis inquirendum relinquimus. Nec aliis assentimur, qui eum a Paride histrione et deliciolo Domitiani in exsilium actum fuisse autumant, et ibi mortuum, deque eo intellexisse Sidonium Apollinarem* (Carm. XI. 272. seqq.), *quum ait:*

nec qui consimili deinde casu,
ad vulgi tenuem strepentis auram,
irati fuit histrionis exsul.

Neque enim fieri potuit, ut a Paride histrione et deliciolo Domitiani in exsilium missus fuerit, quum Satiras suas, ut diximus, scripserit sub Traiano, et Paris gratia et auctoritate tantum valuerit apud Domitianum: unde, quum Sidonius nec Iuvenalem nec alium quemquam nominavit, de quovis alio intelligere potuit. Quomodo refellendi sunt igitur, qui

redisse Iuvenalem post obitum Domitiani, posteaque Satiras suas scripsisse sunt arbitrati? quae fuit non Lipsii tantum, sed iam veterum quorundam sententia; ne quid rursus dicam de eis, qui a Salmasio inde alius aliter ad Hadriani principatum Iuvenalis exsilium retulerunt, secuti antiquissimum illum Vitae scriptorem. Sidonium autem, enumerantem claros poetas, quis credat Ovidio exsuli, quem ante designarat omisso nomine, adiuncturum fuisse alium poetam, quem simpliciter *irati histrionis exsulem* diceret, nomine itidem suppresso, nisi talem, cuius et laudes in omnium ore versarentur, et exsilium fama celebratissimum esset? Atqui vix potuit eiusmodi poetae tam penitus oblitterari memoria, ut nullum ne levissimum quidem ad nos pervenerit eius vestigium. Neque etiam ipsi veteres, si quis intelligi alius potuisset praeter Iuvenalem, de hoc viderentur ad unum omnes cogitaturi fuisse. Dicat quispiam, *histrionem* fortasse dici Neronem, poetamque *irati histrionis exsulem* intelligendum esse Annaeum Cornutum, quem non modo philosophum Stoicum, verum etiam poetam tragicum vetus auctor Vitae Persianae, satiricum ipse Persius et Fulgentius fuisse testantur, relegatum illum in insulam a Nerone, ut constat vel ex Dione Cassio LXII, 6, 153. seq. At is Urbe summotus est non *ad vulgi tenuem strepentis auram*, sed quia, quadringentos libros si scriberet Nero, hos neminem dixerat esse lecturum,

et obiicienti cuidam, longe plures Chrysippum composuisse, huius libros utiles esse responderat vitae humanae. Neque erat, cur hoc loco Neronem Sidonius *histrionem* vocaret. Quid multa? De Cornuto ita demum cogitari posset, si hic ideo notasset Neronem, aut quod omnino, aut quod male histrioniam is exerceret, suaque reprehensione si vulgi strepitum concitasset. Non est ergo, quod dubites, quin Sidonii aetate iam constans fuerit omniumque consentiens fama de relegatione Iuvenalis. Quodsi falsam nihilo secius hanc famam esse censemus, nec temere tamen sic statuere videri volumus, de integro nobis repetenda res erit et certis rationibus demonstranda.

Incipiendum est autem a fontibus famae illius, quam pernegamus aut a Suetonio aut ab ullo Iuvenalis aequali primum proditam esse, mox depravatam. Et ad Suetonium quod attinet, huic iam alii antiquissimam illam, quae exstat, Vitam abiudicarunt, variis utentes argumentis, quibus refutarent Casaubonum ad Sueton. Othon. c. 5. ac praecipue Salmasium Exercit. Plin. p. 519. A. et. p. 520. A. cui nuper etiam minus fidenter, sed accessit tamen Spaldingius in praefatione ad Quintil. Vol. I. p. XXXV. provocanti ad dictionem Suetonio convenientem. Ac primum quidem Burmannus eadem hac ratione usus est in contrariam partem, ut qui attulerit haec tanquam a Suetonio aliena: *semestribus militiolis*,

industriose et *figurate.* Quae omnia poterunt e codicibus ad usum vulgarem revocari: sed cave facias, etiamsi auctorem Vitae credas Suetonium. Nam deminutivum *militiolis*, feliciter, adeoque ad exprimendam contemptionem necessario novatum, cur abhorreat vel ab Suetonio vel ab optimo quoque scriptore, fateor me non assequi, modo ne deinde iterum scribatur *per honorem militiolae.* Quin etiam similiter Ciceroni in Orat. II. Catil. 3, 5. (7.) restituendam puto lectionem *ex rusticis mendiculis et decoctoribus,* erutam olim ex certis librorum tam scriptorum quam editorum vestigiis. Nempe additum qui putant ab aliena manu deminutivum *mendiculis,* non habent, unde venisse dicant: omitti facillime potuit eadem de causa, quae hic quoque mutationem *militiis* peperit, quandoquidem pertinet illud ad τὴν περὶ τοὺς λόγους καινοτομίαν, quam Ciceroni oratori (philosophica enim vocabula ab eodem novata huc trahi nequeunt) Plutarchus tribuit in Vita eius p. 861. F. cuius καινοτομίας varia exempla, abscondita saepe aut temere sollicitata, si quis colligere velit et referre ad genera sua, non perdat operam. Neque etiam alio ex fonte repetenda videtur vetus correctio *ex rusticis mediastinis, ex decoctoribus*, cui aliquam veri speciem praebuit vitiosa scriptura *mediaculis* pro *mendiculis.* Ex sententia Ciceronis tueri iudicium nostrum, alienum est. Quidni porro Suetonius dicere potuerit *industriose,* quum *industrio-*

sissume Cato dixerit, ut ipse monuit, qui cum aliis *industrie* reposuit, Oudendorpius, non intelligo. Postremo adverbium *figurate* ex Asconio est ab eodem Oudendorpio defensum. Iam vero sicut de singulis his verbis non probavit nobis Burmannus rationem suam, sic etiam de forma figuraque dicendi hoc sane Salmasio concedendum est, habere hanc aliquid Suetonianum. Quanquam non tanta est, mea quidem sententia, huius Vitae cum Suetonio similitudo, ut opus esse videatur, scriptam existimare ab hoc ipso potius, quam ab aliquo eius imitatore.

Aliam viam ingressus est postremus in Germania Iuvenalis interpres, quique hunc prope ad verbum exscripsit, nuperus editor Parisinus. Utrique vix credibile videtur, Suetonium, Iuvenali aequalem, tam pauca tamque incerta traditurum fuisse; auctorem enim ne hoc quidem compertum habuisse, fueritne poeta libertini locupletis filius an alumnus. Sed ex eo, quod tam pauca tradiderit auctor, non multum efficitur, quum hactenus nihil saltem impediat, quo minus Vita illa e Suetonio videatur esse excerpta, quae post Fabricium in Bibl. Lat. T. I. p. 452. ed. Ern. etiam Wolfii, viri summi, quum Suetonium ederet, sententia fuit, ita tamen, ut ab illius errore, quo excerptas a Donato Suetonii Vitas esse credebat, hic abstinuerit. Nam quod Achaintrius addidit: *Exsilii Iuvenalis causa, tempus*

et mortis annus ambiguis verbis et parum lucidis notantur; quae certe Suetonius neque ignorare poterat, neque lectorem celare in animo habebat: sumendum non erat, rerum aut ignorationem aut celandi studium in causa fuisse, quare explicatius loqui vel non potuerit vel noluerit auctor. Quid enim, si ab ipso Suetonio uberius exposita fuerant omnia, postea vero redacta sunt in compendium? Ita autem rem accidere non potuisse, est quidem persuasum nobis, sed hanc ob causam, quam ille ne attigit quidem, quod talia fere desunt in Vita ista, qualia de suo addere potius omissa, quam addita omittere solent posteriores, etiam quum epitomen faciunt, locus et annus natalis, nomina Caesarum, nomen Statii poetae et alterius histrionis, anni, quo mortuus sit Iuvenalis, temporumque omnino accuratior significatio; quorum pleraque variis modis suppleta re vera praebent codices quidam, maxime Vossianus, quaeque omissa vix essent, si memoriae prodidisset Suetonius. Accedit, quod et ipse orationis color satis declarat, Vitam illam ita, ut nunc habetur, ab initio statim esse perscriptam, non postea mutilatam et quasi decurtatam. Neque eadem res non ipsa etiam confirmabitur disputatione nostra de exsilio Iuvenalis, siquidem sic statuendum erit: vera esse, et aequali cuidam Iuvenalis deberi, quae traduntur de paucorum versuum satira in Paridem pantomimum poetamque eius semestribus militiolis tu-

mentem scripta, posteaque septimae inserta, de suspicione, in quam eo inciderit Iuvenalis, quasi oblique tempora notasset, de poena denique poetae nescio qua, quae par fuerit levi atque ioculari delicto: solam deinde confictam esse de ipso exsilio narratiunculam, excogitatam ad poenae genus ex coniectura magis definiendum. Quid enim? Quum potuerit per se id fieri ab eo, qui forte in compendium redigeret Vitam Suetonii, num tamen credibile est, ignotum poenae genus futurum fuisse, si ulla unquam exstiterit Vita Suetoniana? Nonne hinc luculenter apparet, eum grammaticum, quisquis fuit, qui hanc nostram poetae Vitam composuit, de re tota nil nisi testis nescio cuius fortuitam aliquam commemorationem, nullam Suetonii Vitam, ante oculos habuisse? Quid? qnod eodem ducit reliquarum Vitarum comparatio. An forte, si plenior Suetonii narratio exstitisset, tot essent et tantae ea de re ortae dissensiones? quae quidem eiusmodi sunt, ut de iis, quae vere narrantur a nostro Vitae scriptore, mancum et imperfectum, de exsilio autem omnino nullum aequalis testimonium fuisse prodant, etiamsi discesseris a ceteris argumentis, quae vanum et irritum reddunt exsilii istius commentum. Incertum sibi nihil perhibet auctor, nisi illud de ortu Iuvenalis, fueritne libertini locupletis filius an alumnus. Sed haec dubitatio vel sola sufficeret ad demonstrandum, ne epitomen quidem Suetonianam esse Vitam

istam nullamque ne scriptam quidem, nedum ad nos perlatam esse Vitam Suetonianam. Nam si quis pertinacior in vindicanda Suetonio Vita ista non constare dixerit de familiaritate Suetonii et Iuvenalis, sine hac autem fieri potuisse, ut tale quid vel aequalis ignoraret, quamvis non omnibus tum ignotum: profecto tamen adeo negligens et socors ad veri investigandi cupiditatem non fuit Suetonius, ut ad enarrandam Iuvenalis vitam aggressum piguerit adire illa de re aliquem amicorum defuncti superstitum, quorum facile quilibet quum rerum omnium pleniorem ac veriorem, tum huius etiam certam dare notitiam potuisset. Neque etiam scriptor Suetonio posterior, sed idem tam diligens, quam nostrum fuisse nemo negabit Iuvenalis βιόγραφον, non modo si placuisset excerpere, verum etiam si consulere tantum licuisset Vitam Suetonii, incertam rem illam videretur pronunciaturus fuisse.

Quodsi ex orationis quidem indole in neutram partem effici quicquam potuit, sed rerum ratio traditarum, dummodo in hanc accuratius, quam adhuc factum fuerat, inquireretur, certissimo nobis argumento fuit, a Suetonio nullam unquam, nedum eam, quam hodie legimus, scriptam esse Iuvenalis Vitam, nihil opus erit argumentis externis. Quare in medio relinquamus sententiam G. I. Vossii de Poet. Lat. cap. III. ubi de poetis post Persium ac Lucanum, in his etiam Iuvenale, tacere in Chronicis memorat

Hieronymum, eiusque rei causam hanc affert, *quod in prioribus poetis Latinis descripserit Suetonii librum de Poetis, is vero de hisce maluerit posteritati iudicium relinquere, quia suae forent aetatis scriptores.* Eodem pertinet iudicium, quod prodidit idem de Hist. Lat. I, 31. ubi Terentii et Horatii Vita sine dubitatione, Lucani et Persii dubitanter, assignatur Suetonio, reliqua pars libri de Poetis censetur esse deperdita. Quibus ego ut nihil me tribuere fateor, ita in iis examinandis tempus consumere nolo. Quaerant igitur alii, annon concidat argumentum ex Hieronymo ductum, si non modo ipse, se ducem secutum esse Suetonium, non sit professus, sed dubia saltem, etiamsi ipsius Vossii in iudicio acquiescas, Lucani et Persii sit Vitarum origo; quidque intersit inter iudicia de viventibus aut modo defunctis et narrationem de vita clarorum virorum paullo post mortem eorum; et si qua huiusmodi plura quaeri poterunt. Sed afferenda tamen vel propterea putavi Vossii illa, quod tantus vir vix videretur solis rationibus istis tam infirmis adductus sic iudicaturus fuisse, nisi talem etiam per se credidisset Iuvenalis Vitam, quae non posset a Suetonio exspectari.

Iam vero si grammaticus satis antiquus quidem, sed Suetonio tamen posterior, Vitam, de qua loquimur, confecisse putandus est: quaeritur porro, quis tandem fuerit ille grammaticus. Haud equidem sum ignarus, frustra plerumque moveri eiusmodi

quaestiones: sed hic si assequi verum non licuerit, at certe accedere ad verum licebit proxime. Non multum enim aut nihil inde aberrabit, si quis ex auctoritate codicis, unde Vitam hanc protulit Ge. Valla in praefatione ad Commentarios suos, tribuerit eam Valerio Probo, eidem, cui tribuuntur etiam, quae in Scholiis sunt vetustissima. Quod quidem confirmat Persianae quoque Vitae similitudo. Nam primum huius auctor alius quidem aliis in codicibus nominatur, sed idem ubique, ad quem Scholia quoque referuntur, in his etiam idem ille Valerius Probus, quo tamen posterior fuit, ni fallor, auctor Persianae Vitae. Deinde et ipsa Persii Vita, id quod maioris etiam est momenti, neque iniuria maximi factum a Breitingero in Schelhorni Amoen. litter. T. X. p. 1107. et 1143. scholiastam prodit auctorem suum his verbis: *Hunc ipsum librum imperfectum reliquit.* Quid ergo? Nonne probabile saltem videtur, eodem iure veteri scholiastae illam tribui Iuvenalis Vitam? At ista, inquies, teste Pithoeo *in optimo codice ad finem adscripta fuit recentiore manu, et in plerisque aliis separatim exstat; Suetonio etiam a quibusdam tribuitur.* Haec ipsa sunt verba Pithoei, quibus hoc suum tuetur iudicium: *Iuvenalis Vita, quae praeponitur, non est, opinor, eiusdem interpretis.* Veruntamen potuit omitti haec Vita ab librariis, qui sola Scholia vellent describere, et ne haec quidem omnia, sed suo arbitratu delecta, posteaque ineptiis

suppleta monasticis; potuit etiam ex antiquiore quodam codice in fine subiungi ab aliena manu, et ab aliis separatim propagari falsove assignari Suetonio, si maxime profecta erat a vetere scholiasta. Sed quoquo modo se res habet, haec saltem dabitur nobis venia, ut hanc Vitam brevitatis causa Valerii Probi potius,* quam Suetonii nomine a ceteris distinguamus, quoniam ille, si non debet, at probabiliter potest auctor haberi, Suetonius non potest.

Haec vero, quam Probianam igitur dehinc nominabo, quum sit omnium sine dubio antiquissima, concedi tamen minime potest, *ex hac*, ut ait Rupertius, *expressas esse et tanquam ex fonte ductas*, quae praeterea quibusdam in codicibus exstant. Immo vero ab hac nostra adeo fere et tali modo discrepant reliquae, ut complures iam ante Probum Vitas pateat exstitisse, quae solam communem sibi haberent narrationem de versibus in Paridem pantomimum scriptis, ductam illam ex testis cuiusdam relatione aliter ab aliis intellecta, in exsilio autem ita sibi repugnarent, ut ista tam varia commenta liberam, qualis in re prorsus commenticia esse solet, prodere potuissent fingendi libidinem. Neque, opinor, *bonam horam perditurus fuisset* Rupertius, si ceteras Vitas praeter Probianam *omnes* (sunt autem multae, ut ipse affirmat,) *colligere* ac diligenter *exscribere* voluisset. Apposuit duas tantum, alteram iam ante ab Henninio descriptam, quae tribuitur

Ael. Donato, Hieronymi praeceptori, sed digna, quae nunc quidem eius conditio est, ne Tib. Claudio quidem Donato, sub cuius nomine Virgilii Vitam habemus, potest videri; alteram incerti auctoris, quam exhibet codex Kulenkampianus.

Ac prior quidem illa sic se habet: *Iuvenalis iste Aquinatis fuit, id est ex Aquinio oppido, temporibus Neronis Claudii Imperatoris. Prima aetate siluit, ad mediam ferme aetatem declamavit, unde et quasi diu tacuit. Fecit quosdam versus in Paridem pantomimum, qui tunc temporis apud Imperatorem plurimum poterat. Hac de causa venit in suspicionem, quasi istius Imperatoris tempora notasset. Sic obtentu militiae pulsus Urbe, tandem Romam quum veniret, et Martialem suum non videret, ita tristitia et angore periit anno aetatis suae altero et octuagesimo.* Cuius Vitae iactum esse fundamentum apparet a vetere quodam grammatico non contemnendo, sed alia temere praetermissa, alia absurde inculcata esse a monacho quodam insulso, atque adeo nec monachi huius nugas ad nos integras pervenisse. Initio statim, ubi nihil vitiosi Rupertius vidit praeter monasticum istud *Aquinatis* pro *Aquinas* et *Aquinio* pro *Aquino*, ante *oppido* facile intelligitur inserendum esse *Volscorum*, ex Probianae Vitae interpolatione mox proferenda, quam ex ipsa hac nostra Vita repetitam censemus. Alioqui nimis puerilis vel in monacho interpretatio erit: *Aquinas, id est ex Aquino oppido.* Sed gravius etiam hoc est,

quod verba *temporibus Neronis Claudii Imperatoris* glossema sunt manifestum ad *tunc temporis*, illatum illud in locum alienum. Natum enim sub Nerone Iuvenalem nemo unquam aut credidit, aut potuit credere, nisi talis librarius: eundem vero primam imperante Nerone scripsisse satiram, non vera quidem, nec destituta tamen, ut post videbimus, aliqua specie veritatis opinio fuit, tribuenda non tantum interpolatori, sed ipsi quoque, ut reliqua narratio declarat, huius Vitae auctori, eademque prodita etiam ab eo, qui Probi verba *poetamque eius* mutavit in *poetamque Claudii Neronis;* quae lectio pluribus reperitur in libris. Corrigere voluit irrito conatu hanc lectionem Rupertius eumque inconsiderate secutus Achaintrius hoc modo: *poetamque Calvi Neronis*, in errorem inductus ille a Fabricio in Bibl. Lat. T. II. p. 557. ed. Ern. qui corrigendum eodem modo putabat Scholium ad Iuv. VII, 92: *Neronem significat, qui scaenicis ob turpem libidinem haec petentibus praestabat. Propter hunc versum missus est in exsilium a Claudio Nerone.* Certe eandem correctionem, *a Calvo Nerone*, quasi suam ille proposuit in Ind. Edit. p. CCVI. Sed huius Scholii longe alia ratio est. Ibi enim si scribendum est: *a Calvo Nerone*, sententia haec erit: significatum esse, quum primum versus, de quo agitur, componeretur, Claudium Neronem, deinde vero propter eundem versum, in septimam Satiram sub Calvo Nerone seu Domitiano

receptum, ab hoc missum in exsilium esse poetam. Itaque sic emendatum hoc Scholium non convellet, sed firmabit in illa Probianae Vitae interpolatione lectionem *Claudii Neronis*, siquidem ibi sermo est de primum scripta, non de inserta in septimam, paucorum versuum satira. Vereor tamen, ne doctiorem et saniorem, quam fuerit, Fabricius fecerit etiam interpretem istum: cuius si ea, quam exposui, fuisset sententia, haec certe aliter efferenda fuisset, ut taceam, poeticam *Calvi Neronis* appellationem vix exspectari posse ab isto interprete. Eundem puto, qui ad principium Satirae ridicule annotavit: *Neronem palpat*, infimae aetatis nugatorem, cuius somniis qui vult emendando succurrere, Aethiopem lavat. Verum ut redeamus ad Donati, quae inscribitur, Vitam, antiquior est huius depravatio illa, quam interpolatio Probianae Vitae, in qua post prima verba: *Iunius Iuvenalis, libertini locupletis incertum filius an alumnus*, haec leguntur in codice Vossiano: *ex Aquinio, Volscorum oppido, oriundus, temporibus Claudii Neronis*, huc translata ex nostra, quae prae se fert nomen Donati, Vita, eodem modo, quo nunc, iam tum corrupta, praeterquam quod postea demum omitti coepit *Volscorum*. Paullo post intelligi nequeunt haec: *Prima aetate siluit, ad mediam ferme aetatem declamavit, unde et quasi diu tacuit. Fecit quosdam versus* cet. Quid? num *prima aetas*, qua

siluit, pueritia est, qua non modo satiras nondum fecit, sed ne declamavit quidem? Nonne et ôtiosa, si hoc voluisset auctor, verba forent: *Prima aetate siluit* (nam puerum siluisse, monere quid opus erat?), et pergendum certe ita fuisset: *hinc ad mediam ferme aetatem declamavit?* Et quid fiet sequentibus: *unde et quasi diu tacuit?* quae si quis exponat: *ex quo etiam diu quasi tacuit*, is meminerit, nec *unde* vel ab homine imperitissimo dici potuisse pro *ex quo*, nec permittere collocationem verborum, ut iungatur *et* cum *diu*, nec denique ipsam sententiam istam huic loco convenire. Etenim, si narrare auctor voluisset, quod Probus narrat, etiam post scriptam paucorum versuum satiram in Paridem pantomimum diu poetam ne modico quidem auditorio quicquam committere ausum esse, et hactenus *quasi tacuisse*, narrandum hoc erat post memoratam demum brevem satiram illam. At potuit etiam auctor hoc dicere: post mediam ferme aetatem abiecisse Iuvenalem studium declamandi, et scripsisse quidem, sed nondum recitasse satiras: quarum primam fuisse eam, quam fecerit in Paridem pantomimum. Audio: sed quaero, quibus artibus e verbis illis hoc elici queat. Restat, quod hic, ubi ceteroquin universe quidem, sed tamen notantur tempora, eius temporis, quo conditi sint versus in Paridem, significationem aegre desideramus. Tolluntur vero impedimenta omnia et difficultates, si sic scripseris:

Prima aetate siluit; ad mediam ferme aetatem fecit quosdam versus cet. qua in correctione *ad* non iam erit *usque ad*, sed *circa.* Quid igitur, quaeret quispiam, sibi volunt, quae sunt his interiecta: *declamavit, unde et quasi diu tacuit?* Nempe apposita in margine fuisse videntur ad *siluit*, ne silendi verbum proprie acciperetur. Aperte autem hoc voluit homo: declamasse prima aetate Iuvenalem, ideoque recte etiam improprie dici posse, diu eum tacuisse, quippe qui, dum declamaret, abstinuerit a poesi satirica: sed nimirum non potuit ille, quod sensit, explicate atque polite eloqui. Sed progrediamur ad reliqua. Desunt nonnulla de primis Iuvenalis versibus in Sat. VII. postea insertis ante verba: *Hac de causa venit in suspicionem, quasi istius Imperatoris tempora notasset*, quandoquidem facile est intellectu, ibi de Domitiano, non iam de Nerone, sermonem esse. Nam illud certe parum credibile est, aeque insipientem et inficetum fuisse huius Vitae scriptorem, ac scholiastam illum, qui Satira VII. Neronem palpari pronunciavit. A Domitiano autem relegatum esse poetam, falsa quidem et ipsa, sed minus absona, eademque communis pluribus, in his etiam auctori Vitae proxime post hanc nostram afferendae, opinio fuit, data opera mox nobis examinanda. Ceterum repetita sunt verba illa ex Probiana vel simili quadam Vita, ubi non magis de Domi-

tiano, quam de Nerone, sermo fuerat. Sed hic tamen, ubi de posteriore Imperatore cogitare vetant sequentia, mox et ipsa nobis ad examen vocanda, non possunt non eadem verba ad Domitianum translata censeri. Videlicet non animadverterat homo, in Satira Iuvenalis VII. ad istum Principem a se relata, huius tempora minime oblique, sed aperte, notari. Et in hunc quidem errorem, quamvis turpem, incidere tamen poterat, quisquis immemor erat ipsius Satirae. Sin hic quoque, sicut in antecedentibus, Neronem intellexisset auctor, haud dubie ita saltem continuasset orationem: *Hac de causa obtentu militiae pulsus Urbe* et quae sequuntur. Quae quum ita sint, totam Vitam sic puto restituendam: *Iuvenalis iste Aquinas fuit, id est ex Aquino, Volscorum oppido. Prima aetate siluit [declamavit, unde et quasi diu tacuit]; ad mediam ferme aetatem fecit quosdam versus in Paridem pantomimum, qui tunc temporis [temporibus Claudii Neronis] apud Imperatorem plurimum poterat. * * * Hac de causa venit in suspicionem, quasi istius Imperatoris tempora notasset. Sic obtentu militiae pulsus Urbe, tandem Romam quum veniret, et Martialem suum non videret, ita tristitia et angore periit anno aetatis suae altero et octuagesimo.* Pro *ita tristitia et angore periit* visum mihi est aliquando reponi oportere: *ira, tristitia et angore periit.* Sed nihil mutandum. Est enim *ita* idem quod *re ita comparata*, ut apud Ciceronem pro Cluent.

cap. 60. *aliquot dies aegrotasse, et ita esse mortuum*, ubi errasse eos, qui *ita* respondere dixerant Graeco *εἶτα*, et explicarant per *deinde*, recte monuit Goerenzius ad Acad. II., 35, 113. Sed nostrum non est de hoc loco et similibus uberius disputare. Hoc addo, eodem modo accipi posse *sic* paullo ante, in his: *Sic obtentu militiae pulsus Urbe*, tametsi erunt fortasse, qui hoc malint sic interpretari: *Quum sic factum esset, ut obtentu militiae pelleretur Urbe*, quemadmodum *ita* sic positum, ut cum *itaque* soleat a librariis permutari, ab Heusingero in Ind. ad Cic. Off. et aliquoties a Goerenzio exponitur: *ita fit, ut*. Mihi videntur et haec et ea, in quibus *ita* ἐλλειπτικῶς usurpari censent interpretes, qualis est locus in Academicis modo memoratus aliique non pauci, ad unum idemque genus omnia pertinere. Sed haec hactenus.

Altera Vita a Rupertio prolata ex cod. Kulenkamp. haec est: *M.* (immo *D.*) *Iunius Iuvenalis, ex municipio Aquinati, ordinis, ut fertur, libertinorum, Romae litteris operam dedit; declamavit non mediocri fama, ut ipse scribit: Et nos consilium dedimus Sullae. Extremis Domitiani temporibus missus in exsilium expertus est, quantum unius histrionis ira valeret. Exsulavit in Aegypto sub specie honoris, nec inde a novis Principibus revocatus est. In exsilio ampliavit satiras, et pleraque mutavit. Invehiturque in*

cineres Domitiani. Decessit longo senio confectus exsul Antonino Pio imperante.

Omissis duabus his Vitis aliam attulit Achaintrius, sumptam ex codice Omniboni Leonicensis pseudonymi, cui verum nomen fuit P. Fr. Omolloio vel Moloio, e Monasterio Sancti Salvatoris Bononiensi: *Quum ex Aquino municipio Romam se contulisset, et venisset sua virtute ad equestris dignitatem, ad mediam ferme aetatem declamavit. In Paridem panthonimimum, qui in deliciis apud Traianum Imperatorem habebatur, primo carmina edidit, quae postea inseruit in eam Satiram:* Et spes et ratio *etc. Sunt autem haec:*

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
et Bareas, tu nobilium magna atria curas:
praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Quibus Traianus intelligens vitia carpi sui temporis, ira percitus, praetextu honoris, hoc modo poetae mortis instruendae opportunitatem invenit. Fecit eum praefectum militum contra Scotos, qui bellum Romanis moverant, ibi ut Iuvenalis interficeretur. Ex quo effectum est, ut poeta, animo consternatus, ex mentis aegritudine simul obiit. Ubi ut mittam portentum *panthonimimum*, inest etiam mendum manifestum his verbis: *qui in deliciis apud Traianum Imperatorem habebatur.* Quid? apud Traianum? immo apud Domitianum, sive verum quaeras, sive auctoris

sententiam. Nec tamen assentior Achaintrio, *Domitianum* scribenti, sed planissimum mihi videtur, adventicium esse nomen Imperatoris, *Traianum*, et petitum e sequentibus ab homine imperito, ideoque eiiciendum potius, quam corrigendum. Continuo post ne quis haereat in his: *primo carmina edidit, quae postea inseruit* cet. dicuntur *carmina* singuli versus etiam in iis, quae ad Virgilii Aen. II., 567. annotarunt grammatici, et saepius eodem modo a Graecis ποιήματα, veluti a Dionysio Halic. de Compos. Verb. p. 30. et 357. ed. Schaeferi, quem vide ad locum priorem. Sed proprius hic usus esse grammaticorum videtur. Certe enim apud Virgilium Aen. III., 287. hactenus tantum unus aliquis versus *carmen* vocatur, quatenus hoc uno totum absolvitur epigramma. Quod porro in eis, quae versus Iuvenalis excipiunt, post *Traianus* addendum Achaintrius putat *Hadrianus*, provocans ad nummos et marmora, quorum testimonio constet, utroque nomine Hadrianum propter Traianum patrem suum adoptivum initio esse imperii sui appellatum: huius coniecturae non video necessitatem. Quid est enim, quod prohibeat, quin hactenus in eadem sententia fuisse credamus huius Vitae auctorem, ac Probianae interpolatorem, qui vixisse Iuvenalem tradidit *usque ad Nervae et Traiani* (non Hadriani) *principatum*? Scotos autem, sub Domitiano ab Agricola domitos, hoc revocato protinus rebellasse, Hadriano

autem regnante recuperatam continuis bellis pristinam libertatem sic iam obtinuisse accepimus, ut is non iam conatus sit ipsos in ditionem suam redigere, sed contentus fuerit ingenti muro ab impetu eorum tueri Britannos. Quum sit igitur haud incredibile, nondum desperasse de subigendis Scotis Hadrianum, antequam ad Britannos ipse venisset, tum vero aeque probabile est et nescio an prope certum, cum eisdem bellum esse a Romanis etiam sub Traiano gestum. Sed fac tamen, secus esse. Ergone, qui finxit reliqua, hoc fingere non potuit? Mox transferendum *praetextu honoris* in locum proximum ante *praefectum militum*, ubi omissum videtur ita, ut scribae oculi ob initii similitudinem a *praetextu* aberrarint ad *praefectum*, deinde vero animadverso errore in margine positum, indeque traiectum in locum alienum. Similiter in alia huius Vitae recensione, de qua statim exponam, sic scriptum: *sub honoris praetextu fecit eum tribunum militum.* Neque alio loco in ceteris Vitis collocata sunt verba *sub specie honoris* et *obtentu militiae;* et flagitat hunc ordinem etiam res ipsa. In fine Vitae misere depravata sunt haec: *Ex quo effectum est, ut poeta, animo consternatus, ex mentis aegritudine simul obiit.* Pessima enim iunctura est: *ut obiit*, nec magis ferendum *simul* pro *statim.* Scripsit auctor, nisi me fallit opinio: *Ex quo poeta animo consternatus et mentis aegritudine stimulatus obiit.* Dicitur autem *ex quo obiit* ita, ut

sit idem quod *ex quo factum* vel *effectum est, ut obiret.* Eodem modo Cicero in Acad. I., 11, 42. *ex quo sensibus etiam fidem tribuebat*, ubi notavit hunc usum loquendi Goerenzius. Iam quum rarior haec esset loquendi ratio, et explicatione indigere videretur, adscripsit quidam: *effectum est*, *ut*, idque receptum est postea in ipsa auctoris verba, relicto indicativo *obiit.* Deinde reposui: *et mentis aegritudine stimulatus*, pro: *ex mentis aegritudine simul.* Similia sunt, quae vel in Lexicis afferuntur, *stimulos doloris contemnere*, *stimulos adegit dolor*, et, *dolore stimulatus.* Nec facile ortum *simul* ex compendio *stimul.* quisquam mirabitur. Commisso autem hoc vitio etiam *et* in *ex* mutari necesse erat. Quodsi discesseris ab altera huius Vitae recensione, separatim consideranda, totam Vitam sic iam refingi oportebit: *Quum ex Aquino municipio Romam se contulisset, et venisset sua virtute ad equestris dignitatem, ad mediam ferme aetatem declamavit. In Paridem pantomimum, qui in deliciis apud* [*Traianum*] *Imperatorem habebatur, primo carmina edidit, quae postea inseruit in eam Satiram: Et spes et ratio etc. Sunt autem haec:*

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
et Bareas, tu nobilium magna atria curas:
praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Quibus Traianus intelligens vitia carpi sui temporis, ira percitus, hoc modo poetae mortis instruendae op-

portunitatem invenit. Fecit eum praetextu honoris praefectum militum contra Scotos, qui bellum Romanis moverant, ibi ut Iuvenalis interficeretur. Ex quo [*effectum est, ut*] *poeta animo consternatus et mentis aegritudine stimulatus obiit.* Iam vero tota huius Vitae pars posterior, a versibus inde Iuvenalis, ita legitur in codice quodam Mediolanensi: *Quae quum ad aures Traiani* (hic quoque *Hadriani* perperam addidit Achaintrius) *venissent, sui temporis vitia carpi intellexit; qua ex re commotus, nulla alia occasione reperta mortis struendae in Iuvenalem, sub honoris praetextu fecit eum tribunum militum contra Scotos, qui bellum contra Romanos moverant, ut ibi Iuvenalis interficeretur: sed tamen paullo post, ut sciret, iratum sibi esse principem, in codicillis suis ad eum in exercitum mittendis inseruit: Et te Philomela promovit. Unde effectum est, ut ipse consternatus ex mentis aegritudine diem suum obiret.* Ubi in his: *qua ex re commotus*, praepositio *ex* si non defendi, at excusari saltem potest ex Velleio II, 130, 4. *quod ex nuru, quod ex nepote dolere, indignari, erubescere coactus est*, et similibus non paucis, ubi *ex* itidem *propter* significat; nec necessario *in* delendum est in his: *in codicillis suis — inseruit*, quum similiter dicatur, *notionem imprimi in animis*, et hoc genus alia. Sed gravior quaestio est, utra antiquior sit Vitae recensio. Si haec plenior, sic statuendum erit, in altera illa contractam ibi esse, ubi varietas incipit, narrationem,

deinde *praefectum* militum e Probiana similibusque Vitis successisse in locum *tribuni*, et perire propterea debuisse acumen narrationis, quod est aperte in hoc-Imperatoris: *Et te Philomela promovit.* Hoc saltem praefecto accommodari non potuisse nisi mutatum ita: *Et te Pelopea promovit*, quippe quod spectaret ad Iuvenalis versum:

Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Ac potuit sane aeque contrahi illic, quam hic dilatari oratio. Sed hoc non satis credibile est, scriptorem, qui ceteroqui non dubitarit suam facere narratiunculam de Iuvenale misso in bellum Scoticum, ex Probiana aliisque Vitis assumpsisse hoc unum, ut praefectum potius quam tribunum militum diceret esse factum, praesertim quum id ne fieri quidem potuerit salvo narrationis illius acumine. Contra vero facile est intellectu, cur tribuno cedere praefectus potuerit; qua de re infra dicendum. Unde apparet, non modo si hanc Vitam, sed etiam primam fabulae si spectes originem, antiquiorem esse rudiorem illam narrandi rationem, et carentem ingenioso isto commento. De hac autem Vita magno etiam sunt argumento utriusque narrationis verba extrema, in illa ita a nobis emendata: *Ex quo [effectum est, ut] poeta, animo consternatus et mentis aegritudine stimulatus, obiit*, in hac vero sic constituta: *Unde effectum est, ut ipse consternatus*,

ex mentis aegritudine diem suum obiret. Quis est enim, qui non videat, illa in haec transire facillime potuisse, haec in illa non item?

Exstat etiam praeter scholia quaedam et aliena ad Vitam Probianam additamenta, suis locis vel afferenda nobis vel allata, praeterque ea, quae ipse de vita sua, et suppeditat Iuvenalis, et falso creditus est suppeditare, brevis narratio quaedam Ioannis Malelae Antiochensis in Chronographia P. I. p. 341. ed. Chilmead. Ὁ δὲ αὐτός, inquit, βασιλεὺς Δομετιανὸς ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν τοῦ πρασίνου μέρους τῆς Ῥώμης, τὸν λεγόμενον Πάριδα. περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ἀπὸ τῆς συγκλήτου Ῥώμης καὶ Ἰουβεναλίου, τοῦ ποιητοῦ τοῦ Ῥωμαίου, ὡς χαίρων εἰς τὸ πράσινον. Ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν αὐτὸν Ἰουβενάλιον τὸν ποιητὴν ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην· τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτήσας ἔπεμψεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, ἐπὶ τὸ ἐκεῖ αὐτὸν οἰκεῖν, ἔξω τῆς πόλεως. Ὅστις Πάρις ὀρχηστὴς ἐκεῖ ἀπελθὼν ᾤκει ἔξω τῆς αὐτῆς πόλεως, κτίσας ἑαυτῷ οἶκον προάστειον καὶ λουτρόν, ὅπερ ἐστὶν ἕως τῆς νῦν, τὸ λεγόμενον Παράδεισος καὶ ὁ Οἶκος· κἀκεῖ τελευτήσας κεῖται ἐν σορῷ ὄπισθεν τοῦ οἴκου ἐν τοῖς κήποις αὐτοῦ. Quae eadem excerpta leguntur apud Suidam in v. Ἰουβενάλιος. De prasina factione aurigarum in Circo notissima res est, exposita etiam suo more ab ipso Malela, qui institutas pronunciat horum factiones esse a Romulo, in honorem solis et quatuor elementorum (quae opinio,

etiam ab Isidoro prodita, nacta est nuper adhuc patronum suum) ibid. p. 222. seq. sed factio pantomimorum prasina, ad quam hoc loco Paris refertur, prorsus est inaudita. Nec sane huc trahi possunt haec Festi: *Factio et factiones initio honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum et quadrigariorum dicuntur.* Nam ut aurigarum factiones etiam greges vocantur, sic histrionum quoque nullae aliae possunt intelligi factiones, quam qui greges dicuntur aliquoties apud Plautum atque Terentium, et apud Petronium c. 80. extr. ubi vide Burmannum; siquidem hinc aliena est ea significatio, quam illustrarunt Lipsius et Gronovius ad Tac. Annal. I, 16. Certe enim prasina pantomimorum factio ne cogitari quidem potest, quoniam vestium colorem in histrionibus pro partium, quae essent agendae, diversitate differre oportuit. Perturbavit autem, ut clarius mox patebit, Malelas alium nescio quem Panidem, aurigam haud dubie prasinae factionis, Antiochiae mortuum, cum illo Domitiani pantomimo, quem constat ex Suetonio, Dione et Martiale Domitiae, Domitiani uxoris, fuisse amasium, propterea morte multatum ab Imperatore, Romaeque sepultum in via Flaminia. Quum igitur iam facile intelligatur, quomodo scriptor tam insulsus comminisci potuerit prasinae factionis pantomimum: non habeo, quod amplius addam de his: τὸν ὀρχηστὴν τοῦ πρασίνου μέρους τῆς Ῥώμης, nisi quod Suidas omisit genitivum

postremum, et hic et in istis, quae paucis post sequuntur: ὑπὸ (sic enim scribendum ex Suida pro ἀπὸ) τῆς συγκλήτου Ῥώμης. Nimirum, ut omnia contraxit Lexicographus, ita etiam praetermisit otiosos hos genitivos, quos nisi ipse Malelas adiecisset, librario, ut adderet, nihil causae fuisset. Scio sane, non minus soloecum esse: ὑπὸ τῆς συγκλήτου Ῥώμης, quam quae in Xenophonte olim legebantur: ἐπὶ ταῖς θύραις Τισσαφέρνους, et: ἡ σκηνὴ Τηριβάζου, de quibus notissima sunt illa Schaeferi monita in Mel. Crit. p. 8. seq. vel quod idem in Append. ad Bastii Epist. Crit. p. 3. sustulit apud Dionysium Halicarnasseum: ὁ δῆμος Ῥωμαίων, et in Ind. Lat. ad Gregor. Cor. in v. *articulus* apud Clementem Alexandrinum: πρὸς τὸ κάλλος ἀπεμιμοῦντο Φρύνης. Sed istud quis, quaeso, mirabitur in Syriaco homine, qui ne talia quidem vitavit, quale est τὰς θυγατέρας Κάϊν p. 7. adeoque semper fere sic est locutus? Alia ratio est illorum: τὸν ὀρχηστὴν τοῦ πρασίνου μέρους τῆς Ῥώμης, cuiusmodi vel ipse Schaeferus in nullo non libro a se tractato reliquit innumera, mutavit nulla nisi ex codicum auctoritate; quanquam ne hanc quidem structuram in duplici genitivo a bono quoquam scriptore memini bis deinceps usurpatam. Age vero, qui tandem dici potuit Domitianus a senatu et Iuvenale λοιδορεῖσθαι ὡς χαίρων εἰς τὸ πράσινον? Num scripsisse vel Malelas existimari potest χαίρειν εἰς τι pro χαί-

ϱειν τινὶ vel ἐπί τινι? Non magis opinor, quam quisquam, etiam imperitissimus, Latine scripserit *delectari in aliquam rem.* Non vereor enim, ne quis praesidium petat huic loquendi formulae ex Scholio ad Sophoclis Aiac. v. 136.

σὲ μὲν εὖ πϱάσσοντ' ἐπιχαίϱω·

ἀντὶ τοῦ συγχαίϱω, τουτέστι, σοῦ μὲν εὖ πϱάσσοντος. ἢ οὕτως· εἰς σὲ μὲν εὖ πϱάσσοντα ἐπιχαίϱω. ἵνα λείπῃ ἡ εἰς. Quippe ex eo, quod interpres iste, quum nosset, particulam εἰς interdum significare *quod attinet ad,* veluti in his: εἰς μὲν ταῦτα, εἰς μὲν οὖν χϱήματα, et similibus, huius ope particulae explicare sibi visus est vim constructionis ἐπιχαίϱειν τινά, in qua quum multi, tum ibidem alius Scholiasta nihilo melius in auxilium vocavit ellipsin participii ὁϱῶν, ex eo, inquam, cave concludas, aut ipsum aut alium quemquam scripturum fuisse χαίϱειν εἴς τινα vel εἴς τι. Quid ergo? Nempe delenda est praepositio, ut scripserit Malelas: ὡς χαίϱων τὸ πϱάσινον. Quo de usu loquendi optime exposuit Huschkius Anal. Crit. p. 28. seqq. et Schaeferus ad L. Bos. Ellips. Gr. p. 359. Exempla collegit etiam Aug. Matthiae in Grammat. Gr. mai. §. 408. Sed hi quoniam nullos attulerunt nisi poetarum locos, apponam Demosthenis verba, iam pridem ab H. Stephano in Thesauro commemorata, in Orat. de Cor. p. 323. v. 6. ed. Reisk. τὸ ταὐτὰ λυπεῖσθαι καὶ ταὐτὰ χαίϱειν τοῖς πολλοῖς, quorum eadem plane vis est, atque illorum,

quae ibidem ante legebantur apud Pseudodemosthenem in Epist. ad Philipp. p. 154. v. 24. μὴ — τοῖς αὐτοῖς Φίλιππόν τε χαίρειν καὶ τοὺς ἀρχομένους. Neque etiam apud Romanos poetae tantum sic loquebantur, sed et ipse Cicero *laetandi*, et semel etiam Coelius in epistola ad eum *gaudendi* verbo quartum casum adiunxit, ad Fam. VIII, 14, 3. *Nunc furit, tam gavisos homines suum dolorem*, ubi qui praepositionem *ob* vel *propter* cogitatione supplendam iniuria censuit, Perizonium ad Sanctii Min. III, 3, 8. non tamen continuo ipsum in scribendo probasse dixerim soloecum istud: *gaudere propter aliquam rem*, a Nolteno merito notatum. Nec sane supplemento illo decepti sunt, si qui commiserunt hoc vitium, sed recentiorum linguarum consuetudine. At, inquis, servari poterit praepositio, si mutata una litterula reponamus: ὡς χαίνων εἰς τὸ πράσινον, quemadmodum χαίνειν πρός τι vel πρός τινα apud Aristophanem reperitur, quum saepius in similem, tum vero semel in eandem plane sententiam, Equit. v. 648. ed. Kust.

Οἱ δ᾽ ἀνεκρότησαν, καὶ πρὸς ἔμ᾽ ἐκεχήνεσαν.

Audio, nec repugnarem fortasse, nisi duae maxime rationes adversarentur. Altera est, quod tam coustans est hac in iunctura usus praepositionis πρός, ut sola analogia defendendae εἰς minime satisfaciat; altera, quod ne illud quidem, χαίνειν πρός τι vel πρός τινα, hoc modo quisquam praeter Aristophanem, Lucianus et qui praeterea usi sunt hac syn-

taxi, longe aliter dixerunt. Quare maneo in sententia mea, omittendam esse praepositionem, quam adscripsisse putandus est librarius, cuius eadem, ac scholiastae illius Sophoclei, opinio fuerit de ratione constructionis χαίρειν τι. Est autem τὸ πράσινον non factio prasina, τὸ πράσινον μέρος, sed ipse color, ut apud Iul. Capitolinum in Vero c. 4. *Amavit et aurigas, prasino favens*, nec magis ex nostro, quam ex hoc loco defendas, quod libri quidam exhibent apud Suetonium in Ner. 2, 32. *prasini agitatorem*, reiectum iam a Torrentio, qui tamen a Iulio Capitolino (Spartianum ipse appellavit memoriae vitio) *prasinum* dici credidit factionem prasinam. Colorem significari, non modo res ipsa declarat, sed confirmant etiam haec Plinii Epist. IX, 6, 2. *si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit.* Taceo enim, quae continuo antecedunt: *nunc favent panno, pannum amant*, et ipsius Iuvenalis illud Sat. XI, 197. *eventum viridis quo colligo panni*, et hoc tantum moneo, eodem quodammodo posse referri, quaecunque rem ipsam illustrant, nunc pervulgatam post Iac. Gothofredum et alios, quorum nomina ex Pitisci Lexico Antiquitatum et aliunde huc transferre non est nostrum. Nempe ostendunt omnia, delectatos esse spectatores non arte agitatorum, sed tunicarum colore. Ceterum Suidas

praeteriit verba illa, quorum cuique iam probasse videmur emendationem nostram: ὡς χαίρων τὸ πράσινον. Mira est autem Syriaci hominis levitas, qui quum principio Paridem prasinum finxisset pantomimum, quo nihil ineptius poterat excogitari, nunc etiam Iuvenalis causam exsilii affert non satiram eius in Agauen a Statio Paridi venditam, sed exprobratum scilicet Domitiano prasinae factionis studium, eoque simul etiam oblique significatum eiusdem turpem Paridis amorem; nec tantum a Iuvenale, verum etiam a senatu, notatum hoc nomine Caesarem esse mentitur. Quasi vero aut prasianum (haec forma, ut Petronio reddita, ita reddenda est Iulio Capitolino) Domitianum fuisse constaret, aut quicquam, quod huc trahi vel per errorem posset, exstaret in Iuvenalis carminibus (nam illa *viridis panni* mentio profecto ne per somnum quidem huc potuit detorqueri), aut denique ullo modo credibile esset, ausos esse Domitiani perstringere mores ac studia senatores. Mitto enim eum errorem, quem communem cum tot aliis habuit Malelas, quod omnino a Domitiano Urbe summotum credidit Iuvenalem: quanquam hac quoque in re proprium sibi vindicat somnium de loco exsilii Pentapoli Libya. Videlicet ad aures eius pervenerat vaga aliqua fama de Iuvenale Paridis pantomimi causa a Domitiano relegato in extremam Aegypti partem, quam quomodo Pentapolim ille potuerit intelligere, mox patebit.

Iam vero quum Paridem pantomimum confunderet cum eiusdem nominis auriga quodam prasino, Antiochiae sepulto, in causam autem exsilii inquirere detrectaret, tradidit hanc sua ex coniectura, consentanea sane opinioni de prasinae factionis pantomimo, et exornata commento isto de senatu. Sed progrediamur ad haec: Ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν αὐτὸν Ἰουβενάλιον τὸν ποιητὴν ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην· τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτήσας ἔπεμψεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, ἐπὶ τὸ ἐκεῖ αὐτὸν οἰκεῖν, ἔξω τῆς πόλεως. Ὅστις Πάρις ὀρχηστὴς ἐκεῖ ἀπελθὼν ᾤκει ἔξω τῆς αὐτῆς πόλεως, κτίσας ἑαυτῷ et quae sequuntur. Ubi quum Suidas non τὸν αὐτὸν Ἰουβενάλιον τὸν ποιητὴν, sed simpliciter τὸν Ἰουβενάλιον, neque etiam deinde ἔξω τῆς αὐτῆς πόλεως, sed ἔξω τῆς πόλεως exhibeat, facile quis reposuerit, quae in bono scriptore et ego necessaria iudicarem: αὐτὸν τὸν Ἰουβενάλιον τὸν ποιητήν, et ἔξω αὐτῆς τῆς πόλεως. Quorum alterum comparari posset cum his p. 341. καὶ οὕτως αὐτὸ τὸ δημόσιον λουτρὸν ἐκάλουν οἱ πολῖται, ubi quum simpliciter dici potuisset αὐτό, perspicuitatis causa additum est τὸ δημόσιον λουτρόν, appositionis instar, et similibus etiam apud optimum quemque scriptorem; alterum vero cum talibus, quale est p. 340. ἐν αὐτῇ τῇ πόλει, quod pessime Chilmeadus interpretatur *eadem urbe*, quodque sic, ut par est, intellectum, *in ipsa urbe*, contrarium est verbis antecedentibus: κατὰ

τὴν ἀνατολικὴν πόρταν. Sed nihil mutandum: notanda tantum prava auctoris consuetudo loquendi. Nihil est enim apud hunc frequentius abusione illa pronominis ὁ αὐτός, veluti eadem hac pagina 343. proxime ante verba modo allata: θήσας τὸ αὐτὸ τέλεσμα κατὰ τὴν ἀνατολικὴν πόρταν, et mox paullo infra: ἔθηκε τὸ αὐτὸ τέλεσμα ἐν μέσῳ τῆς πόλεως, in quibus nihil aliud est τὸ αὐτὸ τέλεσμα, quam αὐτὸ τὸ τέλεσμα, et similiter quavis pagina (solet enim Malelas repetere ad fastidium usque istud pronomen), ut ne cogitari quidem liceat de corruptione toties repetita. Neque alia ratio est in aliis posteriorum aetatum non modo Graecis, verum etiam Latinis scriptoribus. Isidorus, ut hoc utar, Orig. I. p. 33. *Elegiacum autem dictum, eo quod modulatio eiusdem* (pro *eius*) *carminibus conveniat miseris*, ex emendatione nostra in Callino p. 16. Atque ita persaepe *idem* pro *is* reperitur in Appuleio, semel etiam *eiusdem modi* pro *eiusmodi* in A. Gellio, ut monuit iam Acidalius ad Velleium II, 42. Sed haec mittamus. Omnino nihil facit ad Malelam emendandum, quae in Suida hic reperitur, varietas, praeterquam quod πλουτήσας inde mutandum est in πλουτίσας. Nam si quis praeterea in verbis: ἐπὶ τὸ ἐκεῖ αὐτὸν οἰκεῖν, ἔξω τῆς πόλεως, a Suida prorsus omissis, suspecta habuerit haec postrema: ἔξω τῆς πόλεως, tanquam e sequentibus huc translata: ne possunt quidem haec deesse sine sententiae detri-

mento, siquidem hoc voluit auctor, ditatum Parin et Antiochiam missum esse eo consilio, ut ibi villam sibi conderet prope urbem, idque deinde, quum advenisset, re vera factum esse. Quod autem hac in sententia eisdem verbis bis deinceps usus est auctor, hoc fecit ex suo similiumque scriptorum more ubique obvio. Foedissima vero depravatio latet in his, quae iam sequuntur usque ad finem: *κτίσας ἑαυτῷ οἶκον προάστειον καὶ λουτρόν, ὅπερ ἐστὶν ἕως τῆς νῦν, τὸ λεγόμενον Παράδεισος καὶ ὁ Οἶκος· κἀκεῖ τελευτήσας κεῖται ἐν σορῷ ὄπισθεν τοῦ οἴκου ἐν τοῖς κήποις αὐτοῦ.* Ubi monere vix opus est, pro *ἐστὶν* scribendum esse *ἔστιν*, *exstat.* Sed qui? Paradisus et Domus balneum dicebatur? Esset sane homini, loquenti de patria sua Antiochia, in priore saltem appellatione fides habenda, si hortos, *τοὺς κήπους* in fine commemoratos, simpliciter *Παράδεισον*, *Pomarium*, nominari dixisset: quanquam vel sic permirum videretur, istud pomarium unum omnium illorum, quibus cinctam Antiochiam fuisse consentaneum est, adeo excelluisse, ut appellatio eius nulla indiguerit domini significatione. Sed balnei vix decernas utra stultior appellatio sit, Paradisine an Domus. A Suida hic quoque destituimur; is enim, omissis his ipsis, in quibus haeremus, sic scripsit: *ὃς κτίσας οἶκον καὶ λουτρὸν ἔξω τῆς πόλεως ἐκεῖ τελευτᾷ.* En vero certam correctionem: *κτίσας ἑαυτῷ οἶκον προάστειον καὶ*

λουτρόν, ὅπερ ἔστιν ἕως τῆς νῦν, τὸ λεγόμενον Παρίδειον, ἴσως καὶ ὁ οἶκος· κἀκεῖ τελευτήσας κεῖται ἐν σορῷ ὄπισθεν τοῦ οἴκου ἐν τοῖς κήποις αὐτοῦ. Parideum vocari dicit balneum, nec secus etiam domum. Similiter, ut hoc utar, paullo post p. 342. balneum publicum a Domitiano exstructum, antequam statua ibi poneretur Medeae, τὸ Δομετιανὸν appellatum fuisse scribit, idemque p. 287. ὅπερ ἐκάλεσεν, inquit, εἰς ὄνομα ἴδιον τὸ Ἀγριππιανόν, τὸ νυνὶ λεγόμενον Ἀμπελινὸν λουτρόν. Verum quid opus est exemplis doceri, a conditoribus fere balnea nomen traxisse? Hoc moneo, Παρίδειον dici, ut Σεραπίδειον, Ἰσίδειον, Θετίδειον, quibus de formis vide Bastium et Schaeferum ad Grammaticum Meermannianum Gregorio Cor. adiunctum p. 650. seq. At enim qui potuit Παρίδειον ἴσως corrumpi in Παράδεισος? Profecto facillime. Nam syllaba ον in fine vocabulorum quoties ταχυγραφικῶς indicata sit obliqua lineola supra scripta, eoque factum, ut postea negligeretur, monere vix est necesse post eundem Bastium illum, quum alibi, tum in Comment. Palaeogr. p. 770. seq. Exemplis ab hoc allatis addas licet, ut unum de multis afferam, Platonicum illud τὸ ἀλγεινὸν in Phaedone p. 60. C. eodem errore, ut verissime Wolfius monuit, corruptum in τὸ ἀλγεῖν. Hoc autem neglecto compendio quae extrema relinquebatur verbi Παρίδεὶ (id est Παρίδειον), littera iota, quum eadem prima esset sequentis vocabuli ἴσως, semel scribi

potuit. Quodsi omissa tam ultima prioris vocabuli syllaba ου, quam altera littera iota, scriptum fuerat Παρίδεἴσως, quis est, qui hinc ad Paradisum facillimum transitum fuisse non fateatur. Sic vero emendato hoc loco etiam fontem totamque rationem commenti clarius perspici licebit. Fuit Malelae temporibus domus quaedam prope Antiochiam et balneum, quod utrumque Paridium appellaretur; fuit in hortis sepulcrum Paridis; fuit denique, ni fallor, sepulcri inscriptio, quae prasinae factionis fuisse hunc Paridem, Romaque istuc secessisse testaretur. Hunc autem Paridem, agitatorem in Circo, cum illo Domitiani pantomimo Malelas perturbavit. Unde progressus error latius manavit, ut error errorem gignere solet. Sic excusatur saltem quodammodo Syrus noster, cuius commenta, perinde atque Cedreni similiumque infimae aetatis hominum somnia, quamvis puerilia, omnino tamen satis memorabilia esse, neque indigna, quorum origines investigentur, nemo erit, quin assentiatur illustri Niebuhrio in Hist. Rom. T. II. p. 331. seqq. Quae quum ita sint, nemo usquam, opinor, haerebit in tota ista nugatoria narratione sic restituta: Ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς Δομετιανὸς ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν τοῦ πρασίνου μέρους τῆς Ῥώμης, τὸν λεγόμενον Πάριδα· περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ὑπὸ τῆς συγκλήτου Ῥώμης καὶ Ἰουβεναλίου, τοῦ ποιητοῦ τοῦ Ῥωμαίου, ὡς χαίρων [εἰς] τὸ πράσινον. Ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν αὐτὸν Ἰου-

βενάλιον τὸν ποιητὴν ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην· τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτίσας ἔπεμψεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, ἐπὶ τὸ ἐκεῖ αὐτὸν οἰκεῖν, ἔξω τῆς πόλεως. Ὅστις Πάρις ὀρχηστὴς ἐκεῖ ἀπελθὼν ᾤκει ἔξω τῆς αὐτῆς πόλεως, κτίσας ἑαυτῷ οἶκον προάστειον καὶ λουτρόν, ὅπερ ἔστιν ἕως τῆς νῦν, τὸ λεγόμενον Παρίδειον, ἴσως καὶ ὁ οἶκος· κἀκεῖ τελευτήσας κεῖται ἐν σορῷ ὄπισθεν τοῦ οἴκου ἐν τοῖς κήποις αὐτοῦ. Quod autem cum emendatione ἐπίκρισιν statim coniunximus, ut illius ratio appareret, id est ut nullum iam restare intelligeretur errorem, qui ipsi auctori tribui, suoque ex fonte derivari non posset: in Malela quin hoc fieret, hactenus nihil impediebat, quatenus is ipse commisit, quos demonstravi, errores. Alia res erat in ceteris, qui varia priorum hominum commenta, vel immutata a semet ipsis, vel simpliciter, sic receperunt, ut sint altius repetenda fingendi initia. Et huc pertinet in Malela quoque commentum de loco exsilii, diligentius deinde considerandum, ut taceam opinionem de eiusdem tempore, communem ipsi cum aliis pluribus.

Afferendas putavi integras omnes omnium delicias istas, ut apertum iam nunc fieret, studiose nondum undique conquisitis et compositis inter se singulorum qui de exsilio loquuntur, narrandi varietatibus, talem ac tantam, etiamsi a Malela discesseris, istorum omnium esse tam inter se, quam a Probo dissensionem, ut neque ex huius narratione manare potuerint reliquae, neque de copiosa Suetonii Vita ab illis

lecta, hodie deperdita, cogitari ullo modo possit, ut denique vel his ipsis narratiunculis inter se collatis exsilium poetae quam maxime reddatur suspectum. Huc accedebat, quod proponendae ideo erant Vitae illae, priusquam in diversam pro fontium differentia partium singularum rationem inquireretur, continuae, ne temeritatis deinde et cupiditatis in suspicionem incurreremus.

Est autem ea varietatis illius natura, ut nihil prohibeat, quo minus testis cuiusdam brevi aliqua et fortuita, quae male intelligi ab imperitioribus ac perverti potuerit, narratione niti videantur haec Probi: *Dehinc* (ita legendum ex codice, unde descripsit hanc Vitam Achaintrius, Alexandrino) *paucorum versuum satira non absurde composita in Paridem pantomimum poetamque eius semestribus militiolis tumentem, hoc genus scripturae industriose excoluit. Et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus. Mox magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quae prima fecerat, inferciret novis scriptis* (Sat. VII, 90. seqq.):

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
et Bareas, tu nobilium magna atria curas:
praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Erat tum in deliciis aulae histrio, multique fautorum eius quotidie provehebantur. Venit ergo Iuvenalis in

suspicionem, quasi tempora figurate notasset. Praeterea, si quid video, memoriae proditum erat ab aequali quodam poetae, affectum hunc poena fuisse, quae *levi*, ut paullo post ait Probus, *atque ioculari delicto par esset.* Solum ibi *supplicii* verbum ipsi videtur Probo deberi, quippe quod accommodatum sit opinioni de poetae exsilio, quam falsam omnino esse, nobis est demonstrandum. Quid quaeris? Sic pergit Probus: *ac statim per honorem militiae, quanquam octogenarius, Urbe summotus, missusque ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque ioculari delicto par esset.* Cui si relegatum esse in extremam Aegypti partem credideris, poetam octogenarium, *supplicium* sane dicenda erit haec poena, et tamen Hadriano (hunc enim significari, mox videbimus), pro huius ingenio Imperatoris, placuisse videri poterit tanquam *par* non modo *ioculari*, sed etiam *levi delicto.* Nam etsi per se durissima est talis poetae octogenarii poena, et propter hoc ipsum supplicium appellanda, levitatis tamen aliquam habet speciem, si relegatio fit per honorem militiae. Sin vero alia nescio quae fuit poena Iuvenalis, re vera *par levi atque ioculari delicto*, non, quam Probus putavit, relegatio, ipsi Probo tribuenda videbitur *supplicii* appellatio illa, tum parum idonea. Ostendere autem hac tota disputatione conabimur, nullam omnino de relegatione

ista narrationem veram posse haberi. Nec vereor, ne quis nihilo minus vagam certe aliquam famam fide dignam de Iuvenale per honorem militiae Urbe summoto esse credat relinquendam, licet explodenda sint omnia, quae tradita sunt variis modis ad accuratius definiendum istud exsilium, et in his etiam commentum de exsilio Aegyptiaco. Quanquam enim, etiamsi sic statuas, tantundem fere hoc erit ad summam quaestionis, hoc tamen nemini in mentem veniet vel propterea, quod aut nunquam Iuvenalis, ut post patebit, aut eodem tempore, quo exsulasse in Aegypto ibique Sat. XV. scripsisse visus est Probo, alibi exsulasse putandus est, quod est ineptum.

Iam vero orta quaestio est, quae tandem poena fuerit Iuvenalis. Responsum est ita, ut par erat in quaestionibus grammaticorum, quas Alexandria Romam translatas significat ipse Iuvenalis, Sat. VII. sub finem:

— — — — ut forte rogatus,
dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat
nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae
Archemori; dicat, quot Acestes vixerit annos,
quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

et in versiculis de Catone illo Valerio Bibaculus apud Suetonium de Illustr. Grammat. c. II. extr.

Catonis modo, Galle, Tusculanum
tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus, unicum magistrum,
summum grammaticum, optimum poetam,

omnis solvere posse quaestiones,
unum deficere expedire nomen.
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Turpe scilicet erat λυτικῷ quicquam nescire, solebatque, ubi verum non poterat, facetum dare responsum; quae pervulgata res est post eos, quos laudat Harles ad Fabricii Bibl. Gr. Vol. I. p. 573. Quid mirum igitur, si quis illam de poena Iuvenalis quaestionem ita solvebat, ut delictum diceret positum fuisse in eo, quod praefecturas ac tribunatus per histriones poeta notaverit impetratos, ideoque, si *pari* poena esset affectus, hanc oportuisse sic comparatam esse, ut ipse militum praefectus fieret histrionis causa? Nimirum, qui hoc excogitavit, *parem* poenam intellexit non tantum pariter levem et iocularem, consentaneam, convenientem delicto, sed eam, qua idem accideret Iuvenali, quod in aliis fieri vituperasset. Porro quaerebatur, quonam igitur missus esset; et hic quoque respondere in promptu erat, in extremam Aegypti partem. Praesentem enim ibi fuisse poetam, e Satira XV. cogebant grammatici, id quod ultra persequendum erit suo loco.

Iam vero fuit, qui acquiescere nollet in hac altera responsione; fuit deinde etiam, qui neutram probaret. Non in extremam Aegypti partem, inquit quispiam, missus est Iuvenalis, sed contra Sco-

tos, qui bellum Romanis moverant. Neque etiam praefectum, addidit alius, sed tribunum militum fecit Imperator, quemadmodum tribunus semester, non praefectus, fuerat Statius, traductus hoc nomine a Iuvenale (hanc enim facile patet istius correctionis rationem fuisse), ac paullo post, ut sciret, iratum sibi esse principem, codicillis suis ad eum mittendis inseruit: *Et te Philomela promovit.* Ita traditum reperimus in Omniboni codicis Vita supra posita, assumpta varietate codicis Mediolanensis. Est autem non modo illa fabula de Iuvenale ad Scotos relegato, verum etiam hoc eius additamentum sine dubio satis antiquum, modo ne primum iam illius auctorem principi tribuisse credas consilium, ut Iuvenalis interficeretur. Quippe eiusmodi reliqua est narratio, cuivis ut obvium esse necesse sit, inventores commenti et ipsos voluisse poenam significare, quae par esset levi atque ioculari delicto. Cur vero contra Scotos missum finxerunt poetam? Fallor, aut fons fabellae quaerendus est in eadem illa Satira XV. eiusque versu 112.

De conducendo loquitur iam rhetore Thule.

Quid enim? Grammatico, qui poeticae huius ὑπερβολῆς veram rationem perspicere se dissimularet fortasse ioci causa, nonne in mentem venire facillime potuit interrogare, qui tandem id scire potuerit Iuvenalis? Quid ergo, si is hoc tulit responsum, com-

perisse poetam apud Scotos, contra quos missus esset sub specie honoris? Enimvero aptissima ad quaestionem ac satis faceta videtur ista responsio. Neque quaerendum est, num igitur homo in Scotia scriptam crediderit Satiram illam, idque iam imperante Traiano, an forte non statim *diem suum*, ut affirmant posteriores illi, quibus nos debemus historiam istam, scriptores, *obisse* putarit *ex mentis aegritudine*, sed Romam revertisse poetam; et quae huiusmodi plura quaeri possunt non pauca, veluti de aliis Iuvenalis carminibus itidem post Traianum demum compositis. Videlicet hoc esset ad vivum, ut aiunt, resecare dictum, in quo solum acumen spectandum est, probabilitas ne exspectanda quidem. Sed illud animadvertas velim, lepidam hanc narratiunculam magno documento esse, rite a nobis tam alteram illam Probi narrationem, quae paullo est speciosior, quam hanc ipsam, ad istiusmodi grammaticorum quaestiones referri. Certe ego me non assequi fateor, quomodo alter praefectum, alter tribunum, aut quomodo alter in extremam Aegypti partem, alter in bellum Scoticum missum perhibere potuerit Iuvenalem, nisi res tota tali quodam modo sit ementita. Nam si certa historiae fide constitisset, missum esse Iuvenalem ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte tendentis, potuissent quidem exsistere, qui fallerentur hac de re eum in modum, quo Malelam vidimus, et infimae aetatis scho-

liastam quendam videbimus allucinari de causa poenae: sed sciens mentiri per iocum haud facile quisquam sic potuisset, ut ii fecerunt, qui excogitarunt ludicrum istud, de quo nunc disputavimus, mendacium.

Extremam Aegypti partem in Probiana narratione alios de Pentapoli accepisse, alios de Oasi, sed intelligendam esse Syenen, iam olim Salmasius monuit in Exercit. Plin. p. 319. A. et p. 321. A. et D. Sed demonstranda res est, praesertim quum eorum, qui in Oasin relegatum tradidere poetam, sententiam suam fecerit non modo Ianus Rutgers, verum etiam Oudendorpius et Wolfius ad Vitam Probianam.

Pentapolis Libya seu Cyrenaica quin potuerit a Malela et Suida extrema occasum solstitialem versus Aegypti pars haberi, nemo dubitabit, qui sciat, Aegypti partem fuisse Pentapolim in ea provinciarum divisione, quae obtinuit a Diocletiano inde et Constantino M. usque ad Iustinianum. Rem discas ex vetere Provinciarum Indice Schonhoviano p. 85. ed. Cellar. ex Notitia utriusque Imperii Dignitatum, ibique G. Pancirolo ad Orientis Imperii Notitiam c. CXVIII. seq. et ex Geographia Frid. Spanhemii Sacra et Ecclesiast. Opp. T. I. p. 87. seq. Ignoravit igitur Malelas, antea Cretae proconsuli paruisse Cyrenaeos. De Augusti temporibus memoriae hoc

prodiderunt Strabo ac Dio Cassius, quorum testimoniis qui non recte usus est ad reprehendendum Ammianum Marcellinum XXII, 16. init. H. Valesius, semet ipse tacite correxit in praeclaris, quae huc spectant, disputationibus ad finem eiusdem libri, quas postea non modo non superarunt, sed ne assecuti sunt quidem Cellarius et Tzschuckius ad Sex. Rufi Breviarium c. XIII. Addas licet Cellarium in Notitia Orbis Antiqui IV, 2. extr. diligenter exponentem de varia Cyrenaicae ad Augustum usque conditione, tacentem tamen de temporibus posterioribus. Res, quatenus huc pertinet, haec est. Postquam administrata a regum Aegyptiorum fratribus aut agnatis fuerat Cyrenaica, a Ptolemaeo primo inde usque ad exitum belli Cretici, hoc confecto provinciam fecerunt Romani, iam ante testamento sibi legatam a Ptolemaeo Apione, rege ultimo Cyrenaico. Quo tempore quum ipsam Aegyptum nondum in potestatem suam redegissent Romani, factum est, ut coniungeretur Pentapolis cum propinqua Cretensi provincia modo acquisita. Quanquam non statim hoc factum esse post bellum finitum, ex eo intelligitur, quod Appianus de Bellis Civil. III, 8. et IV, 57. provincias Cassio et Bruto assignatas esse refert Cyrenaicam atque Cretam. Erant quidem, ut priore loco idem auctor est Appianus, qui has ambas traderent Cassio datas esse, Bruto vero Bithyniam. Sed alterum illud aucto-

ritate firmatur Ciceronis in Orat. II. Philipp. 38, 97. de cuius verbis parum recte iudicavit Sigonius de Iure Provinc. I., 16. extr. Omnino, etsi protinus post bellum Creticum in provinciae formam redactam esse Pentapolim, testatur Eutropius VI, 9. de eadem tamen Cretae provinciae subiecta sub Augusto demum certo constat. Iam vero ut id, in quo hic omnia vertuntur, intelligatur, eodem modo se rem habuisse ad Diocletianum usque et Constantinum, neque igitur aut Domitiani, a quo Roma exactum esse Iuvenalem cum aliis Malelas somniavit, aut etiam Hadriani imperio Aegypti partem fuisse Pentapolim: sciendum est, falsum omnino esse, quod censebat Onuphrius, posterioris illius provinciarum distinctionis sub Hadriano iactum iam esse fundamentum, Refutavit Onuphrium, qui tamen ne ipse quidem Cyrenaicam imperante iam Hadriano Aegypti praefecturae Augustali subiectam esse sibi persuaserat, Tillemontius in Hist. Imp. Gallice scripta T. II. P. III. p. 927. sqq. ibique et Lactantii de nova divisione Diocletiano potissimum tribuenda locum attulit, neglectum nuper a Mansone in Vita Constantini patrio sermone composita p. 151. et Appiani prooemio, eandem, quam adumbravit Onuphrius, Imperii finium per singulas provincias descriptionem exhibenti, nihil inesse monuit, unde ipsius Appiani memoria, id est sub Antonino, ullam

demonstres aliter, quam sub Augusto, finitam et circumscriptam fuisse provinciam. Quid? quod ibi diserte distinguitur Cyrenaica ab Aegypto. Quare Malelas extremam, in qua relegatus esse poeta existimatus est, Aegypti partem vel propterea iniuria accepit Pentapolin.

Oasim alii intellexerunt extremam Aegypti partem. Quorum unus est vetus interpres ad haec Iuvenalis IV, 37. seq.

Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem
ultimus, et calvo serviret Roma Neroni,

ubi scholiasta: *Hoc convicium*, inquit, *in Fl. Domitianum, Titi fratrem, Vespasiani filium, iactat, qui calvus fuit, ut Suetonius refert: propter quod Iuvenalis sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto, Hoasa, ubi mortuus est. Ultimum autem dicit, quia in illo Caesarum origo defecit.* Quibus in verbis codex monasterii Sangallensis, cuius varietatem ab se enotatam benevole mecum communicavit Cramerus, male exhibet *quia calvus fuit.* Mox desunt ibidem verba *ut Suetonius refert*, unde non iniuria colligas, posterioris haec esse auctoris. Confirmant etiam hoc iudicium, quae hinc sequuntur, sic scripta eodem in codice: *Nam et Suetonius refert, quia calvus fuit. Ultimum vero ideo dicit, quia c.* (id est *cum*, per compendium scriptum *c̄*) *Vespasianus et Titus et Domicianus* (sic scriptum solemni er-

rore) *Flavia ex gente fuerint: Domicianus ultimus illorum et dissimillimus imperavit. Meminit hoc Valerius Mart. etc.* Apparet enim, novum hoc esse scholium, cum altero in unum conflatum apud P. Pithoeum, qui nil nisi copulam *et* substituit his: *Nam et Suetonius refert, quia calvus fuit. Ultimum vero ideo dicit, quia.* Ceterum in his *quia calvus fuit* dictum de more posterioris aetatis scriptorum pro *quod calvus fuit* vel potius *calvum fuisse;* qui usus loquendi licet ortus esse videatur ex communi utriusque vocabuli, *quod* et *quia*, compendio q. male intellecto, toties tamen reperitur istud *quia*, quum alibi, tum in vulgata Bibliorum interpretatione Latina, ut ubique *quod* reponere sit temerarium. Atqui, ut illuc redeam, posterioris huius scholii auctorem facile patet explicatius exponere et addita Suetonii ac Martialis auctoritate supplere voluisse prioris argumentum. Itaque in hoc nondum commemoratus esse existimandus esset Suetonius, etiamsi mentio eius omissa non esset in codice Sangallensi. Praeterea eodem in codice non *propter quod* exstat, sed *propterea quod*, ut sit sententia, propterea Iuvenalem, quod relegatus sit, exsulem igitur ultionis causa. hoc convicium iactare in Domitianum. Haec vero tolerabilior saltem sententia est, quam quae efficitur ex altera lectione, relegatum esse poetam propter convicium istud. Hoc enim si dixis-

set homo, non solum recessisset a communi omnium fama de Iuvenale histrionis exsule, sed relegatum finxisset a mortuo Imperatore, nec animadversis quidem extremis eiusdem illius Sat. IV. versibus:

Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
coeperat: hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

Quod autem dixit scholiasta *propterea quod Iuvenalis — relegatus est*, addito poetae nomine, fecit hoc praeter necessitatem, ne quis scilicet iuncturam sic institueret; *qui calvus fuit propterea quod — relegatus est*, et cogitaret de relegato Domitiano; nec sane in tali scriptore otiosum istud additamentum quisquam mirabitur. Omnino, si codicis letionem *propterea quod* praetuleris, nihil habebit scriptoris oratio, quod offensioni possit iis esse, qui istiusmodi hominum assueverint Latinitati. Ad rem autem quod attinet, hoc certe etiam alii crediderunt, adeoque credere debuissent omnes, qui exsilium Iuvenalis ad Domitiani tempora retulerunt, exsulem Satiras scripsisse poetam. Sed huc deinde redeundum erit. Nunc illud maxime tenendum est, locum exsilii a scholii illius auctore habitam esse Oasim. Hanc enim significari, nemo non videt, licet corrupta sit, quam etiam codex praebet, scriptura *Hoasa;* in qua emendanda cum hoc scholiasta statim iungendus est sive alius eiusdem sententiae patronus, sive idem alio loco.

Est is auctor scholii ad primae Sat. principium, allati a Pithoeo apud Henninium in Prolegomenis; qno ex scholio huc pertinent haec: *Hos autem libros in exsilium missus ad civitatem ultimam Aegypti Hos ab ipso Domitiano scripsit. Ideo autem in exsilium missus est, quia dixit versum illum:*

Quod non dant proceres, dabit histrio.

His de verbis, quae sine ulla varietate codex etiam Sangallensis exhibet, Pithoeus sic statuit: *pro Hos civitatis illius Aegypti nomen reponendum esse Oasa sive Oasin, paeninsulam exsiliis celebrem* (ipsius haec verba sunt), primumque provocat ad alterum illud scholium, deinde ita pergit: *Sed et apud Hieronymum in Epitaphio Nepotiani male hodieque Assae pro Oasae. Nam de Timasio loquitur, quem Oasa relegatum Zosimus ex advocato fisci clare narrat.* Vides, ancipitem haesisse virum eruditissimum, utrum in scholio prius ab nobis allato *Hoasa* quartum casum haberet formae *Oasis*, an sextum formae *Oasa*, cum adspiratione monastica. Non reputavit igitur, aeque barbarum esse utrumque. Ὄασα enim pro Ὄασιν perinde est, ac si quis πόλα diceret pro πόλιν, id quod tanto magis monendum est, quod ab eodem errore ne Salmasius quidem locis ante memoratis et Wesselingius ad Hieroclis Συνέκδημον p. 725. sibi caverunt. Ὀάση autem pro Ὄασις forma nominis est prorsus inaudita. Recte igitur iam Baronius Annal. ad a. Chr. 395. §. XXVII. corruptum illud *Assae* in

Hieronymo Opp. T. IV. P. II. p. 274. ed. Martian. mutavit in *Oasi.* Addas licet Heynium ad Zosimum V, 9, 8. nihil curantem illum, ut par erat, hac in re Tillemontium, vulgatae scripturae vindicem, cui neque assentiri nec repugnare ausus fuerat Reitemeierus. Nec sane dubitari licet, quin ante emendandum sit scholiorum etiam, de quibus hic agitur, prius illud, quam inde corrigere audeas hoc posterius. Apparet autem, in illo locum non esse accusativo, nisi forte inverso vocabulorum ordine scripseris *Hoasin in Aegypto*, ideoque reponendum esse *propterea quod Iuvenalis sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto, Hoasi, ubi mortuus est.* De hoc altero scholio probarem Pithoei iudicium, si unam proposuisset correctionem *Oasin*, vel potius, relicta monacho adspiratione sua, *Hoasin*, ut ita legeretur: *Hos autem libros in exsilium missus ad civitatem ultimam Aegypti, Hoasin, ab ipso Domitiano scripsit.* Ceterum *paeninsulam* quum Pithoeus vocat Oasim, decipi se passus est ab iis, qui *quasi insulas*, *ὡς νήσους*, vere appellarunt Oases, quippe arena undique cinctas insularum instar. Dicuntur etiam *νῆσοι* simpliciter, qui usus loquendi, iniuria vituperatus a summo Cuiacio Observ. VIII, 6. conferri potest cum iis, quae contulit Bentleius ad Horat. Carm. III, 4, 31. Enimvero ne spernenda quidem Olympiodori sententia est apud Photium in Bibl. Cod. LXXX. p. 191. ed. Schott. insulas mari-

timas olim fuisse censentis Oases; siquidem vera sunt, quae nuper in eandem sententiam disputavit Girardus in Descriptione Aegypti Gallice scripta Hist. Nat. T. 2. Fasc. 2. et inde in Okeni Isiacis Fasc. VIII. p. 1305. seqq. ubi imprimis huc pertinent, quae disputantur a. p. inde 1316.

Tertius locus eodem referendus scholium est ad spuriam Sat. XVI, 13. *Bardaicus iudex, centurio, qui quasi inter illos milites militavit, habentibus stationem apud Bardos; est autem gens Galliae: vel, qualis fuit Bardas.* Ineptam esse utramque interpretationem, et ne iungendum quidem esse *Bardaicus iudex*, nostrum non est docere. Nunc enim de sola quaeritur scholiastae sententia, turpissimis librariorum mendis impedita, ut apud Pithoeum, ita etiam in codice Sangallensi. Erunt autem, qui statim in lemmate *Bardaicus iudex* haereant, et restituere velint in scholio (de ipso enim Iuvenalis versu hic non agitur) quorundam Iuvenalis codicum lectionem *Bardiacus*, quum a *Bardis*, Galliae gente, adiectivum deducatur *Bardiacus*, a *Bardaeis*, natione Illyrica, *Bardaicus*, ut *archaicus* ab *archaeus*, *Iudaicus* a *Iudaeus* et similia. Sed hoc discrimen, de quo egregie praecepit Salmasius ad Iul. Capitolini Pertin. c. 8. p. 56. D. ipse scholiasta ignoravit, atque ex antiquiore quodam scholio ad alteram lectionem transtulit interpretationem, quae ad alteram ibi specta-

rat. Alioqui non adiecisset derivationem a *Bardae* nescio cuius nomine, aperte futilem quidem, sed ad lectionem tamen *Bardaicus* pertinentem. Iam vero duplicem corruptionem facile agnoscas in verbis *qui quasi inter illos milites militavit.* Ac prima quidem sublata iam est a Iano Rutgerte Var. Lect. IV, 4. extr. qui pro *quasi* egregie reposuit *Oasi.* Quanquam propius ad depravatam lectionem scribendum erat *Ouasi*, de qua nominis forma disserui in Epistola ad Cramerum Germanice scripta de Triboniani emblemate quodam apud Ulpianum p. 11 - 13. Alteram corruptionem monuisse sat est latere in *illos*, quod mutandum in *alios;* quibus de verbis saepissime inter se permutatis monuerunt ad Suetonium Burmannus, ad Livium Drakenborchius, ad Sallustium Cortius, Ruhnkenius ad Velleium, et quis non? In his denique: *habentibus stationem apud Bardos,* optime restituit Rutgers *habens ibi stationem,* sed praeter necessitatem, nec nisi per incuriam, ut arbitror, scripsit *inter Bardos.* Iam vero quaeret quispiam, quo iure ad opinionem de exsilio Iuvenalis Oaseno hoc scholium possit referri. Non dicere enim auctorem, ipsum ibi poetam stationem habuisse. Non dicit, fateor, sed significat. Cur enim Oasi potissimum, cuius in ipsa Satira nulla fit mentio, Bardos militasse sibi persuasit, nisi auctorem Satirae, Iuvenalem a se habitum, descripsisse militiam credidit, qualem Oasi ipse esset expertus?

Iam vero trium scholiorum istorum sive auctores sive unum auctorem Oasim intellexisse *extremam*, quam Probus dicit, *Aegypti partem*, perspicuum est ex eo, quod non modo primus eorum *in Aegypto* ponit Oasin, verum etiam secundus eandem vocat *civitatem ultimam Aegypti.* Quid? quod rectius, ubi de Iuvenalis aetate sermo erat, sic dici potuit Oasis, quam Cyrenaica a Malela intellecta. Convenit enim inter omnes, adscriptas Aegypto sub Imperatoribus semper fuisse binas Oases Aegypto finitimas, magnam seu superiorem et parvam sive inferiorem, quamvis sitas in deserto Libyco, adeoque a Strabone Ammoniacam quoque ad Aegytum referri. Etenim quas Αὐάσεις Strabo vocat (non Ἀνάσεις, quod vitium correctum iam pridem ex Stephano Byzantio est), non sunt aliae, quam quae Oases a ceteris fere dicuntur. Dubitaverat hac de re Cuiacius Observ. VIII., 27. sed mutavit sententiam ibid. XX, 31. Accesserunt postea Cellarius in Notit. Orb. Ant. IV, 1. p. 68. seqq. Io. Dav. Michaelis ad Abulfedae Descript. Aegypti p. 54 et alii, in quibus prae ceteris nominandi sunt Langles in peculiari commentatione de Oasibus Gallice scripta, Rennelus in splendide opere Anglico, quo Herodoti systema geopraphicum examinavit et explanavit p. 545 seqq., iterumque in Hornemanni Itinerario Bibl. Sprengelianae T. VII. p. 171. seqq. et qui hunc maxime secutus est, Idelerus in Ios.

Hammeri Fodinis, quas inscripsit, Orientis Vol. IV. Fasc. 4. p. 393. seqq. itemque Ritterus in Geographia, quam inscripsit, comparativa, T. 1. Quanquam qui proximus post Cellarium exstitit, ignotus auctor commentationis Latinae de Oasibus, insertae Tomo VI. Historiae Crit. Reip. Litt. ceteroqui Gallice scriptae a p. inde 280. nodum, ut aiunt, in scirpo quaerens, parumque etiam sibi constans, auxit potius quam sustulit difficultates, necdum a posterioribus data opera est refutatus. Ignotum quum dico hunc scriptorem, non sum ignarus, Relando tribui commentationem istam ab Oudendorpio ad Probianam Iuvenalis Vitam. Sed fallitur vir eximius, sive Adrianum intellexit seu Petrum Relandum. Ille enim, qui habitabat in litteris orientalibus, si quid de Oasibus scribere voluisset, Arabicis geographis, ex parte iam tum cognitis, imprimis videretur usurus fuisse. Hic vero omnino nihil, dum vixit, a se scriptum in vulgus edidit, ut ante Fastos eius post mortem ipsius ab Adriano fratre editos hic testatur, consentientibus aliis, veluti Saxio in Onomastico. Atqui illius auctor commentationis pluribus iam doctis operibus nomen sibi parasse dicitur ab editoribus. Quodsi vel maxime esset credibile, hanc unam scriptam ab eo esse inscio fratre, vel sic tamen auctor eius minime posset haberi. Ceterum natus esse error inde videtur, quod missam sibi dissertationem editores pro-

fessi sunt ab illustri, quem vocant, Relando. Sed quisquis tandem auctor fuit, in argumento, quod sibi tractandum sumpserat, parum feliciter versatus est. Dissensionem enim veterum in Oasium descriptione sibi visus est reperisse, ex qua aliter se expedire non potuit, qnam ut inauxilium vocaret latiorem Auasium appellationis usum apud Strabonem, eodem nomine praeter tres illas maxime insignes cetera quoque appellantem eiusdem generis loca innumera, quibus distinctum esse moneat desertum quasi pellem quandam pardaleam. Harum Auasium tres censet fertilissimas fuisse atque abundantissimas, unam vero alteramve, quae vicina Aegypto fuerit, perquam sterilem atque inhabitabilem, et hanc propterea relegationibus (sic loquitur, relegationem a deportatione non distinguens,) accommodatam habitam. Quasi vero non constaret, et magnam et Ammoniacam in Oasim, quae in ternarium illum apud Strabonem Auasium proprie sic dictarum numerum sine ulla dubitatione sunt referendae, exsules esse missos. Et quidni, quaeso, si fecundissimae regiones et amoenissimae erant Oases, eaedem tamen poterant esse perniciosae peregrinorum diutius ibi versantium valetudini ob ventos pestiferos culicesque et muscas grandiores, quarum ictu necati saepe exsules esse ferebantur? Quidni poterant? inquam. Re vera enim erant quidem Oases feraces atque in-

cundae, nec tamen dignae fortasse visae essent laudibus tam effusis, quam quibus extolli solitae sunt et etiam nunc solent a peregrinantibus, nisi tam vastis desertis undique cinctae essent; qua de re bene monuit Rennelus in libro illo de geographia Herodotea p. 547. seq. Nec rursus tam pestilentes erant Oases, quam Iustiniano aliquando persuaserant exsules redeundi veniam petentes; id quod nos in Epistola ad Cramerum iam ante memorata p. 82 — 89 docere conati sumus. — Quid impedit porro, quin eaedem Oases loca fuerint habitata quidem illa, sed nihilo minus hactenus tristia ac solitaria, quatenus, ibi qui exsulabant, invio erant et arenoso deserto ab omni aliorum hominum societate seiuncti? Sic optimo iure, si quid video, τόπος λυπρὸς et λυπρότατος vocari potuit, etsi inhabitabilis et inculta minime fuit, Oasis, quam simpliciter sic dictam intelligendam esse magnam, solemnem exsiliorum locum, bene vidit Cellarius p. 69. Sic etiam ἔρημος merito haec dicitur et ἀπάνθρωπος ἐρημία, id est regio semota ab aliorum hominum commercio, et hactenus solitaria, licet non vacua ab hominibus, ut recte haec explicat Michaelis p. 32. Sic denique dilui perfacile queunt, quaecunque praeterea de discrepantia veterum in medium prolata sunt ab incerto illo scriptore, quae taedet referre omnia. Crudele supplicium ideo maxime habitum exsilium Oasenum, quod peragrandum exsulibus horribile erat deser-

tum, et hoc, non ipsas Oases, intellexit Athanasius, quum senes ab Arianis expulsos esse dixit εἰς ἐρήμους καὶ ἀήθεις καὶ φοβεροὺς τόπους. Quanquam haec ratio, quam ibi et flagitant ipsa Athanasii verba, et confirmat eiusdem alius locus, non temere alio est transferenda. Sed haec omnia paucis indicasse sufficiet. Certum est, ut opinor, de eisdem, in quarum duas exsules mitti solebant, Oasibus locutum esse Strabonem, quum tres illas Auases omnes ad Aegyptum diceret pertinere. De Ammoniaca tamen fateor hoc praeter Strabonem dixisse neminem. Verum enimvero de magna et parva omnes consentiunt, constatque adeo ex Iosepho, non tantum has attributas fuisse Aegypto, sed Aegyptios natu existimatos incolas. Quodsi illi, qui Iuvenalem relegatum esse legerant in extremam Aegypti partem, hanc intellexerunt Oasim simpliciter sic appellatam, hoc est magnam: in hanc sententiam, cui geographicae rationes haudquaquam repugnant, quomodo incidere isti potuerint, ultro iam intelligitur.

Nunc vero quaeritur, rectene an secus ad exsilium Oasenum relata sit Probiana narratio de Iuvenale in extremam Aegypti partem misso per speciem honoris. Ad praefecturam cohortis poetae datam hic omnia redeunt; ac fuit haec sane, ut omnium, sic etiam illorum, qui locum exsilii Oasim perhibebant, cum Probo communis opinio. Quid quaeris? Hoc ne-

go, per speciem honoris relegari in Oasim potuisse Iuvenalem. Etenim ne deportatus quidem quisquam est istuc ante sedem imperii Byzantium translatam a Constantino M., relegatus nemo ante Iustinianum, et hujus aetate a Triboniano inserta sunt, quae apud Ulpianum, Caracallae aequalem, leguntur l. 7. §. 5. Dig. de interd. et releg. *Est quoddam genus quasi in insulam relegationis in provincia Aegypto, in Ovasin relegare.* Quod ego quum certis, ut spero, argumentis demonstrarim in singulari illa disputatione de hoc Triboniani emblemate: hoc loco rem verbo attigisse satis habeo. Etiamsi vero non modo Ulpiani, sed ipsius Iuvenalis memoria jam usitatum fuisset exsilium Oasenum, deportationem tamen, ut ibidem docui, non relegationem, tum fuisse necesse esset. Nec sane quisquam relegatus unquam in locum ceteroqui deportationi proprium, nisi qui summam Caesaris indignationem concitasset, ut Ovidius et Seneca philosophus. Iuvenalis autem poenam levi, ut ait Probus atque ioculari delicto parem esse voluit Imperator. Quis credat igitur, hac mente eiectum esse poetam eum in locum, ex quo reduci, quem putabat, Heroni philosopho Gregorius Nazianzenus divinum gratulabatur auxilium, quo tanquam alter Lazarus quidam ex ipso quasi sepulcro esset ereptus? Accedit octogenaria Iuvenalis aetas, de qua illi, qui Oasim exsilii locum fuisse narrarunt, a Probo dissentire non debebant. Sed

sumamus, quod minime concedendum est, non modo in usu fuisse Iuvenalis aetate exsilium Oasitanum, sed poenae mitigandae causa relegationem poetae Oasenam in deportationis locum succedere potuisse. Nonne vel sic aperta relegationis poena multum distabit a relegatione per honorem militiae? Haec autem in Oasim facta prorsus est inaudita.

At, inquis, fuere tamen iam tum fortasse in Oasibus praesidia Romana, quae posteriore memoria ibi fuisse docet Notitia Imperii; ut facile praefici potuerit Iuvenalis militibus ibi tendentibus, idque facilius etiam, si nondum usitata fuerit deportatio Oasena. Facilius, fateor, quam si militibus ibi in praesidio positis iam tum commissa esset deportatorum custodia. Hoc enim credibile nemini profecto videbitur, Iuvenali relegato deportatorum custodiam esse mandatam. Sed unde tandem scimus, fuisse Oasi iam Iuvenalis aetate praesidium militare, idque eiusmodi, ut praefectus cohortis ibi tendentis fieri potuerit Iuvenalis? Nos non modo certum, sed ne probabile quidem id esse censemus. Sed paullo altius repetenda res est. Recensetur autem in Notitia Orientis Imperii c. CXLI. (XVIII. ed Labb.) sub Comite Limitis Aegypti *ala secunda Armeniorum Oasi minore*, et ibidem c. CXLIV. (XX.) sub Duce Thebaidos in iis, quae de maiore Laterculo emittebantur, *ala prima Abasgorum Hibe Oaseos maioris*, in iis vero, quae de minore, itidem *ala prima Abasgo-*

rum Oasi maiore et ala prima Quadorum Oasi minore Trinytheos. Ubi Phil. Labbeus, cuius brevem annotationem vellem Graevius in Thesauri sui Tomo VII. adiunxisset amplissimis Panciroli commentariis, si recte iis, quae de minore Laterculo emissae recensentur, submittendum censeret hunc versum: *ala prima Abasgorum Hibe Oaseos maioris*, omittendus ibi versus esset: *ala prima Abasgorum Oasi maiore*, et alter ille in huius loco ponendus. Sed nihil opus. Alia enim Abasgorum ala fuit, quae in maiore, alia, quae in minore Laterculo prima numerabatur. Verum corruptum est vocabulum *Hibe.* Docebit hoc Nestorius apud Euagrium in Hist. Eccles. I, 7. Ὄασιν τήν καὶ Ἴβιν ἐκ θεσπίσματος βασιλικοῦ κατοικοῦμεν, et paullo infra: Ὀάσεως τῆς Ἴβεως ἐκ πολλῶν πρώην ἀφανισθείσης, quos locos cum illo Notitiae a Cuiacio inde contulerunt plures, nemo ad emendandum adhibuit. Quid enim? Nonne apertum est, *Ibin* vel *Hibin* oppidum fuisse vel castellum, ut recte praeter Pancirolum censuit etiam Cellarius p. 70. non adiacens tamen illud, ut hi putarunt (neque enim in arena condi potuit), sed in ipsa Oasi maiore positum, sicut in media etiam Ammoniaca arcem fuisse triplici vallo munitam, auctor est Diodorus XVII, 5. et Curtius IV, 7, 557. Illo autem in castello, *Hibi* igitur, non *Hibe*, barbarorum illorum praesidium fuit. Mitto enim errores Michaelis l. m. p. 32, qui sine causa idonea malle se ait apud Euagrium

cum spiritu aspero Ἵβιν scribere, locumque Notitiae sic accepit, quasi *Hibe* diceretur ipsum praesidium. Ceterum nolo addere Plinium Hist. Nat. V, 4, 10. ubi infelicissimam Duareni coniecturam: *Ibi civitas Oasensis*, irrito conatu defendit scriptor ille incertus, Relandus ab Oudendorpio habitus, p. 300. seq. adversus Cuiacium, tuentem optimo iure lectionem receptam: *Ibi civitas Oeensis*, quam flagitat series orationis, docte ab Harduino illustratae. Sed ad Nestorium ut revertamur, falleretur, si quis hunc minus accurate oppidi nomen ad totam Oasim retulisse arbitraretur. Immo Ὄασιν arctiore significatione vocavit oppidum. Quodsi nemo, qui cum Notitia Nestorium contulerit, neque ignoret, Oasim vi arctiore oppidum dici posse, ullo modo poterit dubitare, quin Ibis seu Hibis oppidum vel castellum fuerit Oasis maioris: quis est, quin depravata esse fateatur Notitiae verba *Hibe Oaseos*. Certe enim dicendum erat *Hibe Oaseos*. Sed aliam eamque certissimam correctionem suppeditabit vitiosa scriptura codicis Palatini et apographi Victoriani, quorum varietatem Frobenianae editionis exemplo suo Monachii adscripsit Cramerus. Utrobique enim legitur *Hibeoso Aseos*. Unde veram lectionem restituo ne littera quidem mutata: *Ala prima Abasgorum Hibeos Oaseos maioris*. Nec sane quisquam, qui mediocriter sit in hoc monumento versatus, mirabitur

hunc genitivum. Adiiciuntur enim locorum, quorum praesidia commemorantur, nomina secundo non minus, quam quarto vel sexto casu, veluti quum sub eodem illo Limitis Aegypti Comite recensentur *ala secunda Assyriorum Sosteos* et *ala secunda Ulpia Afrorum Thaubasteos*, itemque sub Duce Thebaidos *legio secunda Traiana Apollonos superioris*. Collocationem autem verborum in duplici genitivo *Hibeos Oaseos* ego ne apud Ciceronem quidem aegre ferrem: in aliis optimae aetatis scriptoribus, nedum in hac Notitia vel Goerenzius probaret. Sed haec mittamus. Nec nostrum est disserere de vocabulo *Trinytheos*, pro quo in codicibns a Cramero collatis *Trimtheos* exstat. Fuisse videmus Oasi et maiore, de qua una hic agitur, et minore praesidium Romanum sub Theodosio sec. quo regnante et absoluta esse censetur Notitia Imperii, et deportatus est in Oasin Nestorius, sed ne oppidum quidem, in quo isto sub Imperatore praesidium erat, a Plinio maiore, qui paullo ante Iuvenalem fuit, commemorari. Iam vero haud equidem is sum, qni a Diocletiano inde aut Constantino M. praesidio iam instructam fuisse Oasim eique mandatam iam a Constantio esse deportatorum custodiam videri negem. Sed Principes Diocletiano priores tuendis finibus multo minus studebant, ut post alios Manso docuit in Vita Constantini M. p. 144. seq. immemor ille non verae quidem sed mentione tamen dignae sententiae a magno Ca-

saubono prolatae ad Spartiani Hadr. c. 34. p. 24. A. et B. vicos et urbes limitaneas, neglectu, ut ait, priorum Imperatorum collapsas, restituisse tantum Diocletianum. Immo plerasque primus condidit. Quare magnopere vereor, ne destituta adhuc Oasis praesidio fuerit Iuvenalis aetate. Quid? quod credibile est, in locum, quo ne perveniri quidem posset sine summa molestia, milites nullos unquam alios esse missos, quam barbaros, quales erant, qui imperante Theodosio sec. Oasibus stativa habebant, Armenii et Abasgi et Quadi; e barbaris autem non ante auxilia petebantur, quam totus orbis Romanus civitate donatus esset ab Antonino Pio. Legenda est hac de re egregia Salmasii disputatio ad Vopisci Probum c. 44. p. 435. seqq. At poterant huc mitti Iuvenalis memoria milites natione provinciales, sed ingenio ac moribus barbari, quales stipendia ibi facientes sibi finxit ille, cuius somnium de centurione apud Bardos ibi stationem habente ante attuli. Potuerint sane; nihil enim impedio: ergone senex Iuvenalis non modo procul remotus est ab omni aliorum hominum commercio, delatusque in regionem, cuius etiam aditus reclusus invio esset deserto, sed praeterea, in tanta solitudine, militum etiam non dico popularium, sed paullo humaniorum societate et contubernio privatus, idque a Principe, qui supplicium par esse vellet levi atque ioculari delicto?

Nae tali supplicio ne umbram quidem ac speciem levitatis conciliasset honor militiae. Esto tamen: quando tandem pedites in Oasium praesidiis erant? An forte *alas* in Notitia Imp. de cohortibus alariis accipies sive auxiliaribus? Cave facias, quum constanter in Notitia illa proprie dici soleant *alae*, diligenterque distingui ab exterorum etiam militum *cohortibus*. Quare falsum est hactenus quoque, relegatum istuc esse poetam *ad cohortis curam*, nisi vero pro arbitrio finxeris, solos equites in Oases mittendi consuetudinem postea demum obtinuisse. Haec autem verba sunt eius, cuius scholium de Iuvenale in Oasim expulso primo loco attulimus. Nec vereor, ne quis *cohortis* appellationem de ala intelligi posse sibi persuadeat, provocans ad *cohortes equestres*, *equitatas* etiam in lapidibus appellatas. Has enim satis constat peditum fuisse, sed quae proprios et insitos, ut ait Vegetius, haberent equites, diversissimas igitur ab alis. Vide Schelium ad Hyginum in Thes. Graev. T. X. p. 1090. b. Accedit etiam is, quem tertium attuli, quippe qui similiter *centurionem*, ab equitibus alienum, retulerit ad praesidium Oasis, in qua militasse Iuvenalem sibi persuaserat. Nimirum secuti sunt ambo hac in re eandem famam a Probo propagatam, quam etiam in loco exsilii, extrema Aegypti parte, ad Oasim ab se relata, amplexi sunt, missum esse Iuvenalem *ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte ten-*

dentis. Nec sane ab hac fama quisquam recessit praeter unum eorum, qui lepidum commentum de Scotico Iuvenalis exsilio memoriae prodiderunt, et quos iste sententiae suae auctores habuit. Et quomodo tandem is recessit? Non ita, ut alae praefectum, sed ut tribunum militum factum esse diceret Iuvenalem. Quam famam si illi ad Oasenum exsilium transtulissent, turpius etiam lapsi essent, quandoquidem tribuni legionum sunt Romanarum, praefecti sociorum vel auxiliorum. Quid? quod in istos homines, qui nescio an ne hoc quidem aliunde compertum habuerint, ullum unquam Oasi fuisse praesidium, vix etiam cadit perfugium illud, dari potuisse poetae praefecturam militum stationem ibi habentium, priusquam obtineret deportatio Oasena. Immo vero hanc ipsam, cognitam sibi e scriptoribus ecclesiasticis, temere perturbasse videntur cum relegatione per honorem militiae, spectantes hoc unum quod *extrema*, quam Probus dicit, *Aegypti pars* ad Oasin referri salva geographica poterat ratione, de ceteris omnibus haud solliciti.

Quodsi nec in Pentapolim nec in Oasim relegari potuit Iuvenalis, restat ut assentiamur Salmasio, extremam, in quam missus esse dicitur poeta, Aegypti partem intelligendam esse Syenen. Et ibi quidem Terentianum quoque, poetam, Iuvenalis aequalem, militibus praefuisse auctor est Martialis I, 87,

— — — *quam Terentianus,*
qui nunc Niliacam regit Syenen.

Nec dubitari potest, quin et ipse Probus ibi exsulasse crediderit Iuvenalem, Proxime enim Syene adiacebat Ombis; ubi pugna commissa est, quae describitur Sat. XV. Atqui Probus, ut post apparebit, huic proelio ipsum interfuisse exsulem putavit poetam, fluxitque ex hac Satira omnis fama de exsilio eius Aegyptiaco. Fac igitur, refutari non posse opiniones de Pentapolitano vel Oaseno eiusdem exsilio. Improbandae vel sic essent, quippe profectae ex male intellecta Probi sententia, et si qui praeterea Syenen, extremam Aegypti partem a se dictam, exsilii locum fuisse tradiderant. Quodsi omnino Urbe summotus esset poeta, huc relegatus esse putandus esset. Ac fuisset sane paullo levius certe istud exsilium, quam Oasenum.

Sed a loco exsilii transeamus ad tempus, de quo duae potissimum grammaticorum erant sententiae, utraque autem eiusmodi, ut omnes ad id tempus, quo scriptam putabant Satiram illam XV. retulisse exsilium vel possint videri vel debeant. Hic autem omnia redeunt ad versus illos Iuvenalis, quos insertos Satirae VII. causam exsilii fuisse grammatici arbitrabantur.

Spectant ibi hi versus ad Paridem Domitiani pantomimum, ab hoc Principe interfectum, ut

praeter alios auctor est Dio Cassius LXVII, 12, 15. ubi plura contulit Reimarus. Hunc enim Paridem propter Agauen a Papin. Statio emptam poetamque equitem eius impulsu tribunumque semestrem factum aperte traducit Iuvenalis in eadem Sat. v. 87. seqq. Iam vero constabat, ut e Probo ante vidimus, prius compositos fuisse versus illos, quam reciperentur istam in Satiram, poetamque tum demum, quum ibi eos inseruisset, *venisse in suspicionem, quasi tempora figurate notasset.* Quae paullo diligentius ponderata non poterunt aliter accipi, quam intellexerunt Salmasius in Exerc. Plin. a p. inde 320. F. Dodwellus in Annal. Quintil. §. XL. et alii, versibus illis aperte taxatum esse Paridem Domitiani pantomimum, sed apud posteriorem Principem quendam, accuratius mox definiendum, tantundem valuisse alium quempiam histrionem, qui *figurate* notatum se *suspicaretur*. Sed potuit idem accidere veteribus grammaticis, quod etiam post Salmasium Theod. Ryckio accidit in Animadv. ad Tac. Annal. IV, 36, 3. atque adeo post Dodwellum Christoph. Saxio in Onom. T. I. p. 274. ut vi verborum illorum minus perpensa exsilium poetae ad Domitiani aetatem traherent, primumque scriptos putarent versus illos in priorem Paridem, Neronis pantomimum, de quo legendus idem Dio LXIII, 6, 91. et quos ibi Reimarus commemorat. Ac fuit haec non Sidonii quidem Apollinaris opinio, cuius am-

bigua verba assentior Dodwello § XXXVII. seqq. haud secus, quam Probiana, intelligi oportere, veruntamen illius Vitae scriptoris, qui Aelius Donatus vulgo fertur, temere istuc detorquentis ipsa illa Probianae narrationis verba, itemque Vitae Probianae interpolatoris ibi a nobis memorati, quibus addi possunt etiam auctor Vitae e cod. Kulenkamp. descriptae, et alii, qui nihil aliud quam ad Domitiani tempora retulerunt exsilium, excepto Malela et Suida, quorum somnia huc non pertinent. Ceterum quod Dionem hic commemorat Salmasius p. 319. B. 320. C. et 321. C. erratum est viri summi, sed, ut aiunt, *μνημονικὸν ἁμάρτημα.*

In repetenda autem ista sententia e Iuvenalis Sat. XV. opportunum quodammodo nobis accideret, si statuere liceret, *consulem Iunium* v. 28. intellectum esse Appium Iunium Sabinum, quem Domitiano X. COS. a. U. 837. Varr. collegam soliti sunt adiungere viri docti, qui de Vita Iuvenalis egere nostris temporibus, in his etiam Salmasius p. 319. D. et Dodwellus § XXXIX. Nam fuerat quidem Paris anno ante a Domitiano occisus; qua de re, vel potius de Domitiae repudio, quod in idem tempus incidit, certius pronunciaturus fuisset Oudendorpius ad Suet. Domit. c. 3. p. 900. si Dionem consuluisset: sed potuit existimari poeta plures annos in exsilio esse versatus, nec desunt, ut post patebit, huic sententiae

patroni veteres, immo amplexi sunt eam omnes, qui ad *Domitiani* aetatem retulerunt exsilium. At nomen *Appii Iunii Sabini* fateor pro arbitrio esse Consuli illi datum a recentioribus, planeque assentior Gisb. Cupero, qui in epistola Almeloveni Fastis praemissa n. XIV. prolata inscriptione, ubi nomen illi imponitur *T. Aurelio Sabino*, hoc addidit iudicium: aliis appellatur *Ap. Iunius Sabinus, procul dubio male.* Natus error praecipue ex vitiosa nominis scriptura apud Suetonium et Eutropium, qui eundem *Oppium Sabinum* nominant, non *Appium*, ut cum Norisio in Epist. Consul. T. XI. Thes. Antiq. Rom. Graev. p. 431. iure censet Oudendorpius ad Suet. Domit. Illa enim nominis forma et melioribus in libris utrobique exstat, et satis etiam aliunde a Norisio est firmata. Apud Iornandem vero de Reb. Get. c. 13. corrupto nomini *Poppaeus Sabinus* substituendum puto *T. Oppius Sabinus*, depravatum fortasse ab homine, cuius animo inhaeserit Poppaeus ille Sabinus, Moesiae et Macedoniae sub Augusto ac Tiberio praeses, notus e Tacito et Dione. Haec scripseram, quum sententiam huic nostrae non dissimilem, sed fluctuantem, Tillemontio in Hist. Imp. T. II. P. I. p. 121. iam in mentem venisse viderem. Praeferenda est autem horum scriptorum auctoritas inscriptioni illi a Cupero allatae, *T. Aurelii Sabini* nomen exhibenti, cui tanto minus est tribuendum, quum Sabinorum familia in gente Aure-

lia fuerit nulla, quumque facile perturbari potuerit huius consulis nomen cum nomine *T. Aurelii Fulvi* vel *Rufi*, quem sequentis anni consulem in Fastis afferri opportune monuit Oudendorpius. Quid ergo? *P. Oppio*, aut certe, si coniecturae nostrae de praenomine minus tribuas, *Oppio Sabino* consuli nomen fuit. Fac tamen, *Appium Sabinum* vocatum esse: unde tandem *Iunii* nomen ductum est, nisi ex ipsa Iuvenalis Satira illa? Neque enim aut appellatus est *Iunius* a quoquam veterum, aut etiam potuit appellari, si *Appii* praenomine utebatur. Hoc enim praenomen non modo ante Caesares proprium fuerat genti Claudiae patriciae, verum etiam sub Imperatoribus vix cuiquam ex alia gente datum est praeter *C. Ap. Iunium Silanum.* Vide Car. Sigonium et Onuphr. Panvinium de Nomin. Rom. in Thes. Graev. T. II. p. 1962. D. et 2024. D. et Ez. Spanhemium in Dissert X. de Usu et Praestant. Numism. Vol. II. p. 29. seq. Sin quis ad unum illud exemplum praenominis istius ad gentem Iuniam translati ausus fuerit provocare, hoc certe vel is concedat necesse est, *Appium Sabinum* simpliciter dictum, quem apud Suetonium et Eutropium sibi reperisse visi sunt viri eruditi, intelligendum fuisse *Appium Claudium*, non *Appium Iunium.* Haud equidem sum ignarus, Silanum illum, de quo disseruit Theod. Ryckius ad Tac. Annal· IV, 68, 1. a Dione vocari Γαΐον Ἄππιον Σιλανόν, suppresso *Iunii* nomine. Sed ibi excusationem

ista quantumvis mira appellandi ratio habet ex eo, quod *Silanus* proprium gentis Iuniae cognomen fuit, ut notum ex August. de Famil. Rom. in *Iunia* et Glandorpio in Onom. Rom. q. 505. Atqui Sabinorum familia in gente Iunia nulla fuit, ut propterea etiam inauditum sit nomen *Ap. Iunius Sabinus*, nedum ita suppleri queat *Appii Sabini* nomen. In Claudia vero gente satis vulgare est *Sabini* cognomen. Quodsi illi, de quo nunc agitur, *Sabino* praenomen fuisset *Appio*, ad hanc gentem necessario referendus esset, non ad Iuniam. Quid plura? Fictus est *consul Iunius* Domitiani collega, vix ut credibile videatur, in idem commentum veteres etiam incidisse grammaticos, apud quos nullum huius erroris vestigium reperitur. Jam vero quaeritur, quomodo igitur, si nullus nec fuerit imperante Domitiano *consul Iunius*, nec fuisse existimatus sit, e Sat. XV. oriri potuerit eorum opinio, qui exsulasse sub Domitiano Iuvenalem persuasum sibi habebant. Non potuit, fateor, si aeque diligentes isti fuere grammatici, ac Probum fuisse mox patebit. Verum enimvero tota opinio illa hominum est, quos cave mireris nihil curasse Fastos.

Dissentiebant ipsi inter se sententiae istius auctores, idque ita, ut alius alio paulo saniorem, nemo probabilem rationem iniret. Hoc tamen nullum fefellit grammaticum, superstitem Domitiano

fuisse Iuvenalem, quippe qui saepius in cineres ejus esset invectus. Quare quidam diu *exsulasse* eum putabant *in Aegypto, nec inde a novis Principibus revocatum esse; in exsilio ampliasse satiras et pleraque mutasse.* Ita enim narravit incertus auctor Vitae e cod. Kulenkamp. descriptae, quam Donaticae subiunximus. In qua etsi verba *ampliavit satiras* vix poterunt accipi de aucto addendis novis satiris volumine carminum, erant tamen fortasse, qui hoc quoque intelligerent, plures a Iuvenale satiras non modo retractatas esse, sed scriptas post obitum Domitiani. Addidit scriptor incertus, *decessisse* poetam *longo senio confectum exsulem Antonino Pio imperante.* cuius commenti si fontem mox aperuero, facile apparebit, eum, qui hoc primus tradiderit, ad Domitiani memoriam non retulisse relegationem, nostrum vero Vitae scriptorem, quum ignoraret posterioris huius famae originem, diversa plane ac repugnantia in unam narrationem conglutinasse. Unde factum, ut famam fide dignissimam, declamasse Iuvenalem ad mediam ferme aetatem, paucorumque versuum satiram diu ante scripsisse, quam septimae eandem insereret, hanc igitur famam ut improbaret ac de industria omitteret. Consulto enim omissam puto, quoniam sine causa idonea opinari non licet, tam vacui capitis fuisse compilatorem nostrum, ut mediam Iuvenalis aetatem incidere in Neronis, extremam in Antonini Pii tempora

sibi persuaserit. Quum vero a fama illa nemo unquam praeterea recesserit nisi infimae aetatis monachus, et ne noster quidem Vitae scriptor aliam ob causam, quam quod obitum Iuvenalis ad Antonini aetatem detruderet contra eius sententiam, cui acceptam referret partem Vitae priorem: fas est existimare, antiquiores, qui in exsilio satiras ab Iuvenale scriptas putarent, amplexos esse communem reliquorum, de quibns nunc agitur, sententiam de satira illa paucorum versuum primum sub Nerone composita, deinde in septimam sub Domitiano recepta.

Iam vero fuere, qui hoc quoque sentirent, quam parum verisimile esset, exsulem satiras fecisse poetam, quique idcirco revertisse potius dicerent Iuvenalem post Domitiani mortem. Et nonnulli quidem, quorum sententiam recepit auctor Vitae, quae Ael. Donato tribuitur, quum imperante Traiano Romae fuisse Iuvenalem intellexissent e Martialis Epigr. XII, 18. perhibebant, eum post exsilium diuturnum, *tandem Romam quum veniret, et Martialem suum non videret, tristitia et angore perisse anno aetatis suae altero et octuagesimo;* qua de Iuvenalis aetate suo loco dicendum erit. Martialis carmen, Bilbili, ipsius patria, ad Iuvenalem scriptum, sic incipit:

Dum tu forsitan inquietus erras
clamosa, Iuvenalis, in Subura,

aut collem Dominae teris Dianae;
dum per limina rel.

Spectare autem hoc carmen ad nostrum Iuvenalem, non erat, cur dubitanter poneret I. Lipsius Epist. Quaest. IV, 20. extr. Melius Raderus in editione sua: *Iuvenalis hic satiricus est (ad quem superioribus libris), non ille apud Tacitum Consularis.* Quanquam nescio, qui potuerit Consularem dicere hunc alterum Iuvenalem, quem ex primoribus Tungrorum fuisse Tacitus ait Hist. IV, 66. Atqui scripsit Martialis hoc Epigramma per illud desidiae, ut ipse loquitur, triennium in patria peractum, quod Massonus in Vita Plin. min. §. XII. p. 113. seq. docuit numerandum esse a prima editione libri XI. a. U. 850. Nerva III. et P. Virginio Rufo COSS. qui annus Nervae imperii ultimus fuit, usque ad a. U. 853. Traiano III. COS. cuius quis fuerit collega ordinarius, nostrum non est decernere. Secesserat autem ita Martialis, ut Romam nunquam vellet redire, nec multo post illud triennium Bilbili est defunctus. Quum igitur scriptum sit Epigramma illud ad Iuvenalem Romae degentem, Vitae autem Donato assignatae auctor Martialis desiderio mortuum esse affirmet Iuvenalem, diu exsulem, tandemque in patriam revocatum: vix erit, qui dubitet, quin iste revertisse Iuvenalem crediderit intra triennium illud, circa initia Hadriani principatus, annis post necem Paridis,

exsilii auctoris habiti, ad minimum quatuordecim. At enim, si huius Paridis causa a Domitiano relegatus fuerat Iuvenalis, revocatum esse necesse erit iam ante Traianum a Nerva, qui omnes, ut rite monuit Dodwellus in Annal. Quintil. §. XXXVIII. extr. exsules revocavit, eos etiam, qui non fuerant per speciem honoris legati. Melius igitur alii eorum, qui reducem ex Aegypto ferebant poetam, continuo post obitum Domitiani eundem redisse putabant et vixisisse ad Traiani usque imperium. Et horum quidem opinionem suam fecit interpolator in fine Probianae Vitae, quae sic terminatur in cod. Voss. *Verum intra brevissimum tempus* Θεὸς αὐτὸς *adscribitur Divorum choro, revertiturque Romam Iuvenalis, qui tandem, ad Nervae et Traiani principatum supervivens, senio et taedio vitae confectus properantem spiritum cum tussi exspuit.* Quae quum aperte ad Vitam Probianam adscripta sint ex alia alterius nescio cuius, qui Urbe summotum a Domitiano crederet Iuvenalem, idque non octogenarium, quam in exsilium abeunti aetatem solus pro suis rationibus Probus tribuit: monuisse satis est, Henninium subsistere debuisse in appellatione Θεὸς αὐτὸς de Domitiano interpretanda, qui *Dominus Deusque* dici voluerit, missis inanibus suis et nugatoriis coniecturis, quas tanto magis miror recoxisse suasque venditasse Achaintrium, quum ipse non multum se iis tribuere sit professus. Est autem iste interpolator sine dubio

idem ille, qui ante in eadem *Probi Vita poetamque Claudii Neronis* scripsit pro *poetamque eius*; consentiens hac quoque in re, ut in omnibus excepto reditus tempore, cum auctore Vitae, quae prae se fert nomen Donati. Et habebant sane, qui ita sentiebant, quod responderent quaerenti, quomodo tandem ad Traiani usque aetatem vivere potuerit Iuvenalis; si mediam ferme aetatem attigerit sub Nerone; neque adeo plane defecisset reponsum, etiamsi sub Hadriano denique, ut debebant, mortuum esse dixissent. Numerantur enim a Neronis obitu, quem exiguo temporis intervallo antecessisse prioris Paridis interfectionem Suetonius significat in Ner. c. 54. usque ad Traiani principatus initia anni non amplius triginta, ad quartum autem Hadriani annum, quo nos extinctum censemus esse poetam aetatis esse octuagesimo altero, duo et quinquaginta.

Sed quis credat, Iuvenalem, quum ausus non esset brevem satiram imperante Nerone compositam aliaque hoc genus carmina mox sub Vespasiano ac Tito, optimis Imperatoribus, vel modico auditorio committere, recitare ausum esse sub Domitiano, crudelissimo tyranno? recitare? immo viventem tyrannum ob tribunatum semestrem et ius annuli histrionis gratia Statio datum aperte perstringere, idque contra consuetudinem suam, quam ipse profitetur Sat. I. extr.

— Experiar, quid concedatur in illos,
quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Tanta temeritate si vivum vel mitissimum Caesarem publice traduxisset, exsilio ad minimum esset multatus, si Domitianum, non evasisset, ut bene monet Raderus ad Martial. Epigr. VII, 21. tunicam molestam. Placavit, credo, immanem belluam turpi adulatione, qua incipit, si spectat ad Domitianum, Satira VII. quae scilicet assentatio egregie convenit et huic ipsi carmini et omnino Iuvenalis ingenio. In Martiale, Statio, Quintiliano, Frontino, eiusmodi adulatio necessitate quodammodo excusatur: in Iuvenale, qui tuto tacere poterat, aut declamare, ut coeperat, cui fecit, ut ipse ait, indignatio versum, qui scripsit satiram, quia non scribere difficile erat, in tali poeta adulatio in Domitianum per se intolerabilis, coniuncta autem cum acerba et aperta eiusdem vituperatione, in uno praesertim eodemque carmine, etiam stulta ac demens fuisset. Sed etiamsi solam spectamus apertam istam Domitiani temporum reprehensionem, et ne huius quidem urgemus temeritatem: plus tamen vel sic tribuendum erit antiquae narrationi a Probo servatae, male ab istis omnibus intellectae, adeoque in sententiam de Iuvenale a Domitiano in exsilium acto deflexae ab auctore Vitae Donato assignatae, poetam, quum brevem satiram illam in septi-

mam recepisset, *venisse in suspicionem*, *quasi tempora figurate notasset.* Quod unum, iam a Salmasio et Dodwello monitum, et a nobis quoque iam ante ad explicandam commenti originem usurpatum, nunc quoque ad eiusdem confutationem sufficeret, etiamsi nihil praeterea contra afferri posset. Adiecerunt illi etiam alia argumenta, seiuncta a Probi interpretatione: sed haec parum fere aut nihil valent contra eos, qui redisse dicebant Iuvenalem statim post Domitiani mortem, diuque postea vixisse, modo ita mutaveris horum sententiam, ut obisse dicas sub Hadriano demum poetam. Huc etiam illud refero, quod dicit Salmasius Exerc. Plin. p. 320. D. neminem sanum id, quod semel nocuerit, tanta industria excolere. Poterit enim responderi, plus sibi licere ratum esse poetam sub humano Principe in mortuum Domitianum, quam in eundem sub ipsius imperio. Attamen duas Dodwellus in Annal. Quintil. §. XXXVIII. et XL. addidit rationes profecto gravissimas, quibus doceret, post Domitianum demum recitandi initium fecisse Iuvenalem. Et hactenus quidem recte usus est his rationibus, non item in tempore, quo coeperit recitare, accuratius constituendo. Sed in utrumque argumentum paullo diligentius inquiramus.

Ductum est alterum a Mario Prisco, qui bis memoratur a Iuvenale, Sat. 1, 47. seqq.

— — — et hic damnatus inani
iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis
iratis: at tu, victrix provincia, ploras.

et VIII, 120.

quum tenues nuper Marius discinxerit Afros.

Quippe Marius iste, Africae proconsul repetundarum reus, damnatus est a. U. 853. Plinio ac Tacito in senatu coram Traiano III. Consule actoribus, idque ita, ut aerario inferrentur, quae accepisset, septingenta milia, reliquis ipse in exsilio frueretur, *infamis* igitur *salvis nummis*, et *plorante victrici provincia.* Copiose res exponitur ab ipso Plinio Epist. II, 11. et 12. et Paneg. c. 76. Atqui recitandi initium fecit Iuvenalis ea Satira, quae nunc ordine prima est: *Semper ego auditor tantum?* Haec igitur, in qua prior ille de Mario locus exstat, quum scripta sit post tertium Traiani consulatum, quomodo, quaeso, sub Domitiano septima potuit recitari? Ultra etiam progressus Dodwellus docere conatus est, Iuvenalem recitare demum coepisse a. U. 871. Hadriano II. et Tib. Claud. Alex. COSS. postquam Romam venisset Hadrianus, ad quem mox videbimus iure referri laudes Principis, qnibus incipit Sat. VII. Ab huius imperatoris benevolo in haec studia animo poetam *animos sumpsisse* existimat scripta sua in publicam notitiam proferendi. *Inde*, inquit,

tantus ille recitantium numerus, de quo in prima Satira, quum spes illa lucri appareret, ditante professores, uti vidimus, Hadriano. Omnes ergo Satiras sub Hadriano editas existimamus, non postremas tantummodo, ut voluit Salmasius. At Tacitus certe Traiano iam imperante recepit animum, ut ipse dicit eo in libro, quo scribendi, ut ostendit Franc. Passovius in Ephem. litt. Ien a. 1817. m. Sept. n. 167. p. 394. seqq. initium fecit, in Agricola c. 3. *Nunc demum redit animus: et quanquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie facilitatem imperii Nerva Traianus, nec spem modo ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit: natura tamen infirmitatis hnmanae tardiora sunt remedia quam mala, et ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris.* Non florebant, fateor, secundum haec verba sub Traiano litterae, libenterque ego plus esse hac in re Tacito tribuendum concedo, quam effusis Plinii laudibus, redditum a Traiano bonarum artium studiis *spiritum et sanguinem et patriam* praedicantis in Paneg. c. 47. et similiter alibi. An vero laetior fuit, quam septima in Satira descripsit Iuvenalis, sub Hadriano *tristium Camenarum* conditio? Sed pergit ita Dodwellus: *Paratas enim ad editionem uno eodemque tempore fuisse* (omnes Satiras), *vel illud arguit, quod bis illas terque re-*

citaret; non scilicet seorsim, sed unis continuisque recitationibus, quas quidem ante exsilium scripserat, universas. In quibus quum iustam Latini sermonis peritiam non uno nomine desideres, tum vero nobis, rem potius quam verba spectantibus, illud maxime est notandum, quod ignoravit vir praestantissimus, quid esset *bis ac ter*, ut ait Probus, sive, ut ipse loquitur, *bis terque.* Dicitur autem hoc de rebus, quae saepe fiunt; de iis, quae raro eveniunt, *bis terve*, ut praeclare ostendit Bentleius ad Horat. Epod. V. 33. et Epist. ad Pison. v. 358. Nec secus statuendum de Graeca formula δὶς καὶ τρὶς, de qua idem monuit vir summus in Resp. ad Boyl. p. 229. ed. Lips. Quid ergo? Singulasne singulis annis recitatas putamus Satiras? Absit; id enim ne potuit quidem fieri, quum invitare homines ad unam Satiram audiendam ineptum fuisset, plures autem poetae deinceps recitare non solerent. Et fecerat sane, ut post apparebit, Iuvenalis, quum primam Satiram recitaret, tot iam Satiras, ut non unam illam, sed Satirarum volumen quoddam, cuius illa tanquam praefatio esset, recitaret Sed hoc nego doceri posse, comprehensas isto volumine iam omnes fuisse priores eo tempore, quo exsulasse poetam Dodwellus existimavit, id est Hadriani aetate. At, inquis, quomodo audere potuit Iuvenalis, iudicium illud, ipso Traiano praeside de Mario Prisco latum, superstite hoc Principe *inane iudicium* appellare? Au-

dio: ac fateor sane, longe aliter a Plinio in Paneg. c. 80. eandem, quam inanem Iuvenalis vocat, *mitem* dici *severitatem*, adeoque non tantum eodem anno, quo Africanae illae rapinae aerario addictae fuerant plorante provincia, celebrari Traianum *non locupletando fisco sedentem, nec aliud sibi sententiae suae pretium statuentem, quam bene iudicasse*, verum etiam in coelum extolli eundem propter ipsum illud iudicium. Sed Plinius gratiam sibi Traiani servare studuit et augere: Iuvenalis, si salvus esset, contentus fuit. Atqui iccirco maxime Traianus in ista Marii causa a Plinio fuerat celebratus, quod nil praeter consulem egisset, quod iudicatum esset non ad ipsius arbitrium, sed ex libera plurimorum sententia. Nisi igitur ipse irritam reddere vellet hanc laudem, non potuit non cuique integrum etiam relinquere tutumque praestare de Marii damnatione iudicium. Quid ergo? Hoc unum, nihil amplius, Dodwello est concedendum, damnati Marii istius mentionem documento esse, recitandi initium fecisse Iuvenalem post tertium Traiani consulatum. Similiter autem iudicandum est de altero eiusdem argumento. Et hoc quidem desumptum est a Frontone, cuius haec mentio reperitur in eadem Sat. I, 12. seqq.

Frontonis platani convulsaque marmora clamant
semper, et assiduo ruptae lectore columnae.

Hunc autem Frontonem Dodwellus censet intelligi

oportere M. Cornelium potius, nunc cognitum nobis Ang. Maii merito ex ipsis eius Epistolarum reliquiis, quam Catium Frontonem, sub Traiano oratorem ac senatorem, non semel Plinio memoratum, quem ante Dodwellum Catanaeus, nuperrime illustris alterius illius Frontonis Reliquiarum editor Berolinensis p. XXXVII. maluit intelligere. Firmatur Dodwelli sententia memorabilem in modum Frontonis Epist. ad Marcum Caes. II, 4, 13. *Plane multum mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus, memorabilis poeta, mihique propter Mecenatem et Mecenatianos hortos meos non alienus*, collato scholio ad Iuvenalis locum, quod hinc demum accipit lucem suam: *In Horatiana domo, in qua poetae recitabant.* Quod scholium demiror afferri a Buttmanno, viro clarissimo, et tamen pro certo haberi, antiquiorem a Iuvenale Frontonem significari, a quo quidem hereditate ad M. Cornelium transierint domus et horti Maecenatiani. Nimirum talia fingere praeter necessitatem non licet. In hoc vero non iniuria dissentire mihi videor a Dodwello, quod, si nobilem illum M. Cornelinm intellexeris, ad tempora Hadriano antiquiora referri Satiram commode posse negat. Constat enim, hunc decessisse Frontonem senectute confectum (quod bene notandum) circa a. U. 919. Q. Servilio Pudente et L. Fufidio Pollione COSS. Obierit igitur tum nonagenarius, id quod incredibile nemini, opinor, videbitur. Quodsi scripta Satira esset eodem anno, quo Ma-

rius est damnatus, viginti tamen quatuor annos Fronto iam habuisset. Quanquam plures ob causas, quas exponere longum est, maiorem natu fuisse credibile est. Fac ergo, tricenarium fuisse. Tum scripta Satira erit sexennio post Marii damnationem, anno ante Hadriani imperium duodecimo, septimo autem et sexagesimo, pro nostris quidem rationibus, Iuvenalis. Nec sane multum a vero aberrabit, si quis tum fere Iuvenalem fecisse dixerit recitandi initium. Nam antea recitatam putare primam Satiram, Frontonis vitae rationes vix permittunt, multoque postea ut recitatam credamus, non modo nil cogit, ut hactenus demonstravimus, sed est etiam, quod credere prohibeat. Certe enim parum probabile est, tacuisse Iuvenalem ad ultimam usque, quam incidere in priora Hadriani tempora mox apparebit, senectutem, licet omnem timorem iam ante adimere potuisset clemens Traiani imperium, eundemque tum denique recitare coepisse. Haud equidem is sum, qui pangere carmina atque etiam recitare senem octogenarium potuisse negem, modo vegeta senectute fruentem; qua de re lepida est Rupertii et Achaintrii controversia: sed nimirum aliud est recitare, aliud initium facere recitandi. Adderem etiam illud, quod, quantus omnino Iuvenalis Satirarum numerus est, totidem annos vixit post sextum a Marii damnatione annum, indeque colligerem, non circa hunc annum, sed in hoc ipso, ponendum esse

recitandi initium, nisi illud, ut dixi, incredibile videretur, singulas singulis annis esse satiras recitatas. Sed nolo his diutius immorari. Nunc enim hoc unum tenendnm est, poetam, qui inceperit recitare imperante demum non Hadriano quidem, sed tamen Traiano, exsulare sub Domitiano non potuisse ob satiram a se recitatam.

Quodsi satis iam refutata est sententia de Iuvenale a Domitiano in exsilium acto, hac, age, relicta ad alteram progrediamur eorum, qui Paridem illum, prima paucorum versuum satira notatum, bene intellexerunt accipiendum esse non Neronis, sed Domitiani pantomimum, quique diu postea poetam, in extrema demum senectute, relegatum esse tradiderunt. Et horum quoque sententiae non una apud omnes et eadem, sed bipartita ratio fuit.

Nam primum dubitari nequit, quin huc pertineant, quae dicuntur in fine codicis Kulenkampiani Vitae, *decessisse* Iuvenalem *longo senio confectum Antonino Pio imperante.* Aperte enim manavit istud commentum ex illa Frontonis mentione Sat. I, 12. seq. quam modo docui et referendam esse et relatam ab antiquo interprete ad M. Cornelium Frontonem, clarissimum Marci et Lucii Antoninorum magistrum. Cuius viri scripta quum in horum Principum aetatem, quantum quidem hodie existimari licet, incidant universa: quid mirum, si auctor commenti primam Satirarum Iuvenalis superstitum, quae conti-

net Frontonis mentionem illam, referendam sibi duxit ad Antonini Pii tempora, quibus maxime effloruit Frontonis gloria? Tunc igitur iste putavit recitare exorsum esse poetam, tunc cetera quoque carmina eius recitata, tunc ob septimam Satiram Urbe expulsum auctorem, tunc denique defunctum exsulem. Itaque idem non potuit non satiram brevem illam, septimae mox factam particulam, scriptam statuere in Paridem Domitiani, ab hoc trucidatum anno, priusquam Antoninus Pius imperium adiret, quinquagesimo quarto, ideoque mediam fere Iuvenalis aetatem ponere in anno eius ad summum septimo et vicesimo. Quod etsi perperam fecit vel propterea, quod aetas tam iuvenilis *media fere* senis plus quam octogenarii recte vocari nequaquam potuit (nam pluribus refellere istud commentum nihil attinet): est tamen haec ratio paullo minus absurda, quam si Neronis Paridem primum ille a Iuvenale traductum, et tamen poetam sub Antonino demum mortuum esse credidisset. Nec sane causa est ulla, cur tam absonam ab illo opinionem exspectes, quum praesertim ex ipso commenti fonte, in Frontonis mentione quaerendo, hoc saltem sit manifestum, exsilium poetae ad Antoninum, non ad Domitianum, ab illo esse relatum. Apparet enim ex hoc ipso, non temere a nobis reliquam Vitae partem, quam fateor his minime convenire, supra separatam esse ab isto, de quo nunc agitur, additamento, et per se spectatam ut aliunde petitam.

De *consule Iunio* Sat. XV, 27. non magis sollicitus fuit noster, quam illi, qui Roma eiectum poetam a Domitiano fingebant; nisi vero huc tractum credideris A. Iunium Rufinum, cum C. Bruttio Praesente Consulem a. U. 906. decimo quinto Antonini, et diligentem scilicet fuisse commenti auctorem in consulendis Fastis, eundemque tam negligentem in temporum ratione, ut in duodecimo circiter Iuvenalis anno ponendam tum fore mediam fere eius aetatem non animadverterit.

Longe melior eiusden sententiae et profecto una omnium speciosissima ratio est apud Probum, qui et ipse brevem satiram illam in Paridem scriptam sub Domitiano censuit esse compositam, postquam declamarit Iuvenalis ad mediam fere aetatem; receptam in septimam autem sub Hadriano, et ab hoc relegatum poetam octogenarium, mortuumque intra brevissimum tempus taedio et angore. Hactenus in Probi interpretatione consentiunt inter se Salmasius et Dodwellus, nec sane quisquam, qui paullo diligentius legerit disputationes eorum, ac vim argumentorum, quibus hanc firmarunt interpretationem, sentiat, dubitabit, quin hoc modo Probus intelligi necessario debeat. Ceterum sitne Traianus Roma profectus a. U. 865. se ipso VI. et T. Sextio Africano COSS. ut voluit Dodwellus in Annal. Quintil. § XXXIX. Pagium, Blanchinum et Norisium secutus,

an ineunte demum a. 867. Q. Ninnio Hasta et P. Manilio Vopisco COSS. ut censuit Tillemontius in Hist. Imp. T. II. P. III. p. 879. seq. nihil ad nos. Etiamsi enim ex hoc demum anno absens fuit Traianus, minime tamen hac re imminuitur vis argumenti Dodwelliani, relegari poetam ab Imperatore absente non potuisse. Quanquam ne indigemus quidem hoc argumento, qnandoquidem relegatus esse poeta a Probo dicitur octogenarius, hanc autem aetatem consequi non potuit ante Hadriani adventum, si mediam attigerat imperante Domitiano. Taceo enim reliqua, quae satis iam exposita a duumviris illis ego recoquere nolo.

Sed quo tandem Hadriani anno octogenarius fuit Iuvenalis? Non ea haec quaestio est, quae solvi nequeat, modo attendamus ad Q. Iunium Rusticum, quem a. U. 872. secundo ac tertio Hadriani, consulem fuisse constat cum Hadriano III. COS. cuius postea eodem anno collega fuit Q. Flavius Tertullus, consul suffectus, ut docuit Rupertus in epistolis ad Reinesium, in huius Epistolarum ad se et Hoffmannum collectione editis, p. 215. et 421. seq. Illum enim Q. Iunium Rusticum intelligendum esse Sat. XV, 27. *consulem Iunium*, iure consentiunt omnes, praeter eos, qui somniarunt vel de *Iunco* nescio quo aut *Vinco*, vel de Ap. Iunio Sabino cum Domitiano X. consule, quem nullum omnino fuisse, ante vidimus. Anno

autem post Q. Iunii Rustici consulatum scriptam esse Satiram, luculenter apparet ex ipso eius v. 27. seqq.

Nos miranda quidem, sed nuper consule Iunio
gesta super calidae referemus moenia Copti.

Haud equidem sum ignarus, postremum in Germania poetae interpretem in Vita eius per annos digesta ad a. U. 874. sic iudicare: *Satira XV. hoc forte anno scripta, non superiore: nam si tam recens factum esset, quod in ea narratur, poeta, opinor, v. 27. simpliciter dixisset nuper, neque adiecisset consule Iunio.* At enim hoc addidit, non ut rem Volusio suo Bithynico, ad quem scriptum carmen, in memoriam revocaret (narrat enim ut huic incognitam), sed ut fidem faceret narrationi suae. Si recens factum non fuisset, referendum erat non ut novum et ante ignotum, sed ut *omnibus et lippis notum et tonsoribus.* Jam vero si post proximum a Iunii consulatu annum, quo condita Satira esse putanda est, Roma exactum esse credideris Iuvenalem, ut fecit Salmasius, non absurde tempora licebit constituas, modo ne relegatum dicas eo tempore, quo Roma absens fuerit Hadrianus, nec mediam fere Iuvenalis aetatem aut ultra Domitiani ponas imperium, aut citra Paridis caedem. Nam quod brevem satiram in Paridem scriptam post huius necem conditam putat Dodwellus §. XL. id nemini nec persuasit, nec facile persuadebit. Sed cave ullam rationem, licet

inepta non sit, amplectare, nisi cognitam esse Probo aut ei, quem is secutus est, potuisse intelligas. Atqui octogenarium tum fuisse poetam, quum in exsilium mitteretur, potuit grammaticus conclusione aliqua et coniectura efficere: accipere a teste illo, quem in priore Vitae parte Probus descripsisse putandus est, non potuit. Alioqui potuisset quidem haec res ab aliis, quum isto de exsilio loquerentur, silentio praetermitti; potuisset etiam paullo aliter narrari ab aliis: tam ignota esse vix potuisset, ut aliis affirmare liceret, *extremis Domitiani temporibus in exsilium missum esse Iuvenalem, nec inde a novis Principibus revocatum*, aut etiam diu in exsilio esse versatum, a Domitiani inde imperio, ac *tandem*, imperante Traiano, *Romam quum veniret, et Martialem suum non videret, tristitia et angore perisse anno aetatis suae altero et octuagesimo.* Proinde inquiramus in illius ratiocinium. Norat autem procul dubio hoc, quod memoriae prodidit auctor Vitae Ael. Donato vulgo assignatae, hac in re fide dignus, perisse poetam anno aetatis suae altero et octuagesimo. Norat praeterea, mediam fere aetatem egi e eundem, postquam ad imperium pervenisset Domitianus, et antequam Paris occideretur, morti igitur proximum fuisse consule Q. Iunio Rustico. Intellexit idem, ni fallor, illud, quod certe intellectu non erat difficile, anno post scriptam esse Satiram XV. Iam vero eodem anno, quo scripsit hanc Satiram, decessisse poetam, parum

credibile est, quum vegetam adhuc Satira senectutem prodat; diutius, quam ad proximum annum, per moerorem vix potuit vivere, si senex in Aegyptum fuerat relegatus. Et sic accipienda videntur Probi verba: *intra brevissimum tempus*, (id est intra biennium), *angore et taedio periit.* Exsulasse autem iam tum Iuvenalem, et exsulem fecisse Satiram istam, non mirum si Probus est arbitratus, siquidem omnis, ut ante iam dictum est, nunc vero reliqua hac ipsa argumentatione demonstrabitur, ex hac ipsa Satira fluxit fabula de exsilio Iuvenalis Aegyptiaco. Quid? quod illud per se quoque nec est nec haberi potuit verisimile, poetam, etiam non exsulem, quum in summa senectute talem scripsisset Satiram, diutius, quam ad posterum annum, vixisse, videlicet aut inertem subito factum, aut privatum per plures annos eo vigore, qui eo usque senem etiam pangendis satiris parem reddiderat. Repugnare quidem videri potest media *fere* Iuvenalis aetas, quae ex his rationibus ponenda est in anno aetatis eius ad minimum quadragesimo secundo, ab U. C. 834. L. Flavio Silva Nonio Basso et Asinio Pollione Verrucoso COSS. quo quidem anno imperium adierat mense Septembri Domitianus. Sed *fere* apud Probum non est *paene*, *prope*, sed *circiter*, si significationem, *paullo plus*, si sensum quaeris; eodemque modo etiam *ferme* usurpari potest, quo vocabulo de eadem re utuntur Donatus, qui vulgo fertur, et

auctor Omniboni codicis Vitae, quanquam ab hac diversam uterque, et alius aliam, temporum rationem secutus. Utriusque vocabuli eum, qui huc pertinet, usum illustrarunt Drakenborchius ad Liv. I, 40. et Oudendorpius ad Suet. Aug. LXV, 3. Ad rem autem quod attinet, nihil obstat, quo minus eo ipso anno, quo ad principatum Domitianus pervenerat, scribi potuerit brevis in Paridem et Statium satira. Eodem enim tempore, quo Thebaidem suam magno cum plausu Statius recitabat, Agauen Paridi vendidit, mercedemque accepit tribunatum semestrem et equestrem dignitatem, ut ipse testatur Iuvenalis Sat. VII, 82. seqq. Coepit autem Statius Thebaidem recitare primo Domitiani anno, ut ostendit Dodwellus in Annal. Statian. §. XII. Et est sane satis probabile, de prima hac recitatione apud Iuvenalem esse cogitandum, ac statim, re adhuc recenti, factam esse paucorum versuum satiram illam. Quid ergo? Defunctus est Iuvenalis tam ex Probi, quam ex nostra, sententia biennio post Q. Iunii Rustici consulatum, anno aetatis suae altero et octuagesimo, ideoque octogenarius fuit hoc ipso consule.

Octogenarius autem a Probo dicitur Urbe summotus esse, relegatus igitur hoc consule Q. Iunio Rustico. Nec sane, si est relegatus, alio tempore potuit relegari. Nam anno aute scripta est Satira

VII. cuius causa dicitur exsulasse, a. U. 871. Hadriano II. et Tib. Claudio Fusco Alex. COSS. primis statim post Hadriani adventum feriis. Declarat hoc exordium Satirae et praecipue v. 18. seqq.

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
cogetur posthac, nectit quicunque canoris
eloquium vocale modis, laurumque momordit.
Hoc agite, o iuvenes; circumspicit et stimulat vos
materiamque sibi ducis indulgentia quaerit.

Quid enim? Nonne hinc luculenter apparet, spem tantum et exspectationem suam profiteri auctorem de novo Caesare, qui nuper demum respicere coeperit liberalium artium studia? Nonne alioqui hoc potius dicendum erat, neminem iam cogi poetam laborem ferre studiis suis indignum, quam illud, neminem posthac coactum iri? Quid vero? Potuitne, si tum scripta Satira est, quae causa exsilii fuisse fertur, haec poena differri? Nonne aut nunquam aut postero statim anno, id est consule Q. Iunio Rustico, relegatus esse putandus est Iuvenalis? Nec sane aliter iudicavit Probus, qui *statim* per honorem militiae Urbe summotum tradidit.

Missus est autem tum, consule Iunio, si Probo fidem habemus, ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte tendentis. Cur vero? Non alia profecto de causa, quam quod Ombitarum et Tentyritarum rixae in Sat. XV. descriptae ipse ad-

fuisse existimatus est. Et huc pertinet scholium ad huius Satirae v. 27. *De se dicit Iuvenalis, quia in Aegypto militem tenuit, et ea promittit se relaturum, quae ipse vidit.* Quae eadem non modo G. I. Vossii et Lil. Gyraldi, sed post Salmasium adhuc, qui istum reprehenderat interpretem veterem, aliamque Probo seu Pseudosuetonio sententiam tribuerat, et Dodwelli opinio fuit et Oudendorpii ad Vitam Probianam. Sed hi quidem tantum abfuerunt, ut ex eo, quod consule Iunio octogenarius fuerit Iuvenalis, et anno ante septimam scripserit Satiram, firmarent sententiam suam, ut contra propter hoc ipsum, quod exsulaverit consule Iunio, octogenarium tum fuisse statuerent (octogenarium enim exsulasse, Probo tanquam testi credebant), eandemque ob causam ad annum proxime antecedentem referrent Satiram VII. Sumpserunt igitur illud, quod erat probandum, de tempore exsilii consensisse Probum cum scholiasta illo, nec posse etiam ad aliud tempus recte referri exsilium. Similiter alter eorum, Oudendorpius, quum sciret, mortuum esse Iuvenalem anno aetatis suae altero et octuagesimo, obitum eius in secundo post Iunii consulatum anno ideo posuit, quod hoc consule fuerit octogenarius, non intelligens, hic quoque contraria plane opus esse argumentandi ratione. Qua quum nos in his omnibus usi simus, eo nobis rem adduxisse videmur, ut nec pendeant temporum rationes ab exsilii fama,

nec dubitari diutius possit, quin aut nunquam exsulaverit Iuvenalis, aut exsul scripserit Satiram XV. ipseque adfuerit pugnae ibi descriptae, sive rem ipsam species seu Probi sententiam, a scholiastae illius opinione nihil diversam.

Hoc igitur si concesseris, praesentem fuisse poetam in pugna, cuius ista in Satira descriptio reperitur, non erit, cur eundem in exsilio fuisse neges: sin minus, stabunt temporum rationes, concidet exsilii commentum; nisi forte alibi, quam in extrema Aegypti parte, exsulantem scripsisse credideris de superstitione superioris Aegypti populorum Satiram, et ita novam plane finxeris fabulam minus etiam Probiana probabilem. Nec enim peculiari confutatione tunc egebit sententia ab Oudendorpio proposita, quae quidem ex pluribus veterum narrationibus sic est conflata, ut una cum his, quatenus pertinet ad exsilium, evertatur, in temporum autem computatione hoc incommodi habeat, quod quadraginta aut amplius anni numerantur ab a. U. 791. vel 792. Iuvenalis natali, usque ad caedem prioris Paridis, Neronis pantomimi, trucidati ab hoc, ut refert Suetonius in Ner. c. LIV. paullo ante ipsius necem, a. U. 821. triginta igitur tantum vel potius undetriginta postea annis. Nimirum conciliare voluit ille commentum de brevi Iuvenalis Sa-

tira in priorem hunc Paridem scripta cum Probi sententia, id quod nemo mirabitur tam infeliciter cessisse viro eximio.

Quodsi omnia iam vertuntur in opinione de praesentia Iuvenalis in Ombitarum ac Tentyritarum proelio: apparet, nihil, iam reliquum esse, nisi ut ipsam examinemus Satiram XV. scriptam ex ista Probi opinione in exsilio Aegyptiaco. Haec enim Satira si eiusmodi est, ut praesentiam poetae in pugna illa aut admittat aut postulet, confirmabitur, sin minus, certissima ratione redarguetur exsilii fama. Et tale quidem argumentum latius etiam patebit, si doceri poterit, nihil inesse carmini, quod non modo consule Iunio, sed unquam omnino in Aegypto auctorem fuisse prodat, modo interpolationem eieceris manifestam; atque adeo totum carmen ita comparatum esse, ut proficisci ne potuerit quidem a poeta, qui aut praesens fuerit in certamine ibi descripto, aut etiam unquam perlustrarit regionem istam. Hoc enim si poterit demonstrari, valebit id argumentum non tantum contra hanc Probi, sed simul contra ceteras omnes sententias, aliunde iam antea refutatas, de relegatione in extremam superioris Aegypti partem, itemque contra Salmasii opinionem de priore nescio quo Iuvenalis itinere Aegyptiaco, natam ex ista ipsa Satirae illius interpolatione.

Sed huc nondum adducta res est. Quid enim, si spuria est tota Satira? Nonne tum paullo quidem,

sed tamen incertior fiet temporum ratio? nonne concidet quidem vel sic exsilii commentum, sed alio modo? nonne igitur tota quaestio, etsi eodem fere redibit, aliter tamen instituenda erit atque tractanda? Est ita sane: sed dignissimum est, si quid iudico, Iuvenalis ingenio carmen, neque etiam a quoquam ni fallor, publice eidem abiudicatum, nisi a G. I. Vossio, cuius viri laudibus non vereor ne qnid videar velle detrahere, si iudicio eius multo minus esse hac in re dicam, quam in tot aliis, tribuendum. Prodidit enim sententiam suam in Instit. Poet. III, 9, 7. his verbis: *Idem tamen* (Iuvenalis) *Sat. XV. etiam refert, hominem ab homine varie dissectum; aëno coctum vel assatum, atque etiam comestum. Quae sane horrenda nec satirae convenientia. Verum recte iamdiu monitum a variis, non esse eam Satiram Iuvenalis.* et mox §. 17. *fallitur ipse* (Franc. Floridus), *quum Satiram XV. esse Iuvenalis putat.* Quid quaeris? Nempe ex his facile intelligitur, acquievisse virum eximium in aliorum nescio quorum iudicio de carmine, cuius argumentum tam parum ipse recenti teneret memoria, ut in contrariam plane sententiam deflecteret, quae de victrici turba dicuntur v. 81. seqq.

— — nec ardenti decoxit aëno
aut verubus; longum usque adeo tardumque putavit
exspectare focos, contenta cadavere crudo.

Et quorum tandem iudicia secutus est? Taliumne virorum, a quibus subactum de Iuvenalis carminum

αὐθεντίᾳ exspectari possit iudicium? Credideris hoc, quum minime is fuerit Vossius, qui imperitorum somnia curaret. Et tamen praeter ipsum Vossium vix unum reperies, nedum plures, qui Iuvenali Satiram abiudicarint, quod permirum nemini non videbitur, qui scripta, quae tum exstabant, non digna oblivione, pleraque certe reputet etiam nunc exstare. Quapropter vix mihi temperare possum, quin perturbatam esse a Vossio suspicer Satiram XV. cum XVI. quam quidem plerique iam scholiastarum memoria, et plures etiam postea viri docti vel priores Vossio vel aequales, Iuvenalis esse negarant. Huic certe suspicioni ipse locum dedit vir praestantissimus altero illo memoriae lapsu; ac potuit sane in istum errorem incidere tanto facilius, si forte codices inspexerat inverso ordine utramque Satiram exhibentes, ut Satirae, quae XV. ibi esset, principio adscriptum invenerit scholium a Pithoeo proditum: *Ista a plerisque exploditur, et dicitur non esse Iuvenalis.* Eiusmodi autem codicibus usus est Domitius Calderinus, qui hunc ordinem praetulit, scholium secutus in lucem postea prolatum a Casp. Barthio Adv. XV, 14. *Satira haec non postremo edita est a Iuvenali: sed ordo debet esse, ut istam sequatur praecedens. Iuvenalis enim a Paride in exsilium extrusus non videtur sibi male esse. Ergo laudat militiam. Quidam dicunt, non esse Iuvenalis, sed ab eius amico appositam.* At, inquis, hoc tamen vere monuit

Vossius, *horrenda* esse, in quibus versaretur carmen, *nec satirae convenientia.* Non convenientia? Nempe si sola Horatiana satira digna est satirae nomine. A Iuvenalis ingenio tale quid abhorrere, nec dixit Vossius, nec quisquam serio affirmabit. Is enim horribilia omnino tantum abfuit ut reformidaret, ut nullum tam atrox fuerit tamque immane facinus, nullum tam nefandum et inauditum flagitium, quod non ille maluerit odio ac detestationi bonorum, quam oblivioni tradere. At peregrinum est argumentum, et hactenus a satirae natura alienum. Immo insolens tantum, idque hanc unam ob causam, quod tam uberem satirae materiam Urbs suppeditabat, ut plerumque ad externa confugere ineptum fuisset. Plerumque inquam: minime vero, si quando apud exteros res evenerat tam singularis, quam quae illo narratur in carmine. Quid? quod ne spectat quidem carmen ad solos barbaros. Quid ita? Probamusne igitur scholiastae nugas, Crispinum oblique notari somniantis? An forte iccirco perstringi putamus Aegyptiorum sacra, quia Romam quoque haec erant translata? Neutrum sane: sed traducit poeta vanitatem popularium quorundam, qui totum orbem terrarum egregie nunc excultum Graecis Romanisque litteris et artibus esse iactabant, et universum genus humanum hac tam praeclara scilicet aetate longius, quam unquam ante, abesse monet a vero animi cultu, in naturae convenientia po-

nendo, adeo ut serpentum maior iam sit, quam hominum, concordia, utque populi reperiantur, qui hostium occisorum carne vescantur. Nunc demum perpetrari coeptum esse hoc scelus, antea vix cognitum ex poetarum fabulis. *Accipe*, inquit v. 31. seq. *nostro*

dira quod exemplum feritas produxerit aevo,

Ubi attendas quaeso, ad verba *nostro aevo*, tantis scilicet laudibus vulgo efferri solito. Proposito mox exemplo eodem redit, ut eo usque feritatis nunc demum homines pervenisse, longeque diversam fuisse Vasconum ac Saguntinorum conditionem ostendat, quos longae obsidionis egestas coegerit comedere carnem humanam. Defendi quidem secundum Zenonis praecepta ne Vascones quidem posse, sed excusari tamen; nec postulandam Stoicam virtutem esse a Cantabris. Hoc autem in loco verbis:

— — — *sed Cantaber unde*
Stoicus?

quae leguntur v. 108. seq. addidit haec:

antiqui praesertim aetate Metelli,

et his contrarias sui temporis laudes:

Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos:
de conducendo loquitur iam rhetore Thule,

in quibus ironiam imprimis aperte prae se fert versus, ubi Thule iam loqui dicitur de conducendo rhetore. Nescio, quid aliis videatur: ego in summa

carminis investiganda hos versus minime negligendos puto. Quanquam enim similes praesentium temporum laudes a multis saepe crepari solitas hic velut aliud agens ridet poeta, hoc ipso tamen satis perspicue indicavit homines, quorum vanis sermonibus per totam Satiram occurrere voluit. Ad summam carminis tali istorum hominum significatione nihil opus erat. Apparebat enim ex hoc ipso, quod feritatis exemplum illud ad totius generis humani praesentem conditionem referebatur, quid sibi vellet tota Satira, videlicet hunc esse fructum propagatae per totum iam orbem terrarum disciplinae Graecae atque Romanae, quod nunc homines devorare hostes inciperent, quos adhuc occidisse contenti fuissent. Quodsi poeta apertius etiam traducere voluit vanos praesentium temporum laudatores, non erat, cur non aliud agens hoc faceret. Fecit autem eo in loco, ubi multo efficacius et acerbius, quam usquam alibi, id fieri poterat. Significat enim poeta, ex futilibus istorum hominum praesentis aetatis praeconiis ne Vascones quidem, si nunc fuissent, excusationem habituros fuisse. His omnibus denique vel maxime consentanea est postrema pars Satirae, ubi insigni illo ferocitatis specimine declarare studet poeta, quantopere non solum anthropophagi isti Aegyptii, sed praesentis aetatis homines in genere deflexerint ab insito mortalibus humanitatis sensu. At enim si huc spectat totum car-

men, cur tandem poeta exorsus est a sacrorum Aegyptiorum perversitate? Nempe hoc primum se obtulit poetae, narrationem paranti de anthropophagorum Aegyptiorum saevitia, nata ex odio, quo alter populus alterius sacra persequebatur. Et facillimus profecto hinc transitus fuit ad totius aetatis pravitatem. Etenim hoc dicit Iuvenalis, anthropophagorum feritatem apud Aegyptios minus esse mirabilem: sed memorabilem rem esse ideo maxime, quod tanta ferocia adhuc plane fuerit inaudita, ac propria sit egregiae scilicet hodiernae aetati. Quodsi sic statuendum est de carminis argumento, hoc quomodo sit a satirae natura alienum aut Iuvenale indignum, ego certe non assequor. Nec magis profecto ab Iuvenalis ingenio abhorret orationis color et habitus. Sin quid fuerit, quod singula spectantibus offensioni possit esse, hoc certe aut defendi aut removeri perfacile poterit; nec saltem talia insunt carmini, quae, nisi quis forte cavillari voluerit, ad ἀθέτησιν quemquam permoveant, praesertim quum eiecti a nobis erunt versus monastici, et disputatum de errore topographico. Sed haec nobis quidem non sunt ad carminis αὐθεντίαν, sed ad auctoris exsilium referenda.

Ac primum negamus, ullum carmini non modo exsilii, sed etiam peregrinationis, qua antea Iuvenalis Aegyptum lustrarit, inesse vestigium. Quid?

inquis; nonne de itinere saltem satis constat ex verbis *quantum ipse notavi* v. 45? Non miror, ita omnibus visum esse, adeoque, si quaeris, concedo, quod negabat Salmasius, ex eius, qui haec scripsit, sententia ipsi Tentyritarum Ombitarumque pugnae adfuisse Iuvenalem, et narrare, quae ipse viderit. Haec est enim opinio illa, ex qua tota de exsilio Aegyptiaco narratiuncula est repetenda. Sed quis est ille, qui haec scripsit? Dicam quod sentio: monachus nescio quis, non Iuvenalis, ut evidentissime apparebit, si locum de Ombitis, Tentyritas ob cultus diversitatem inter solemnes epulas invadentibus, paullo diligentius consideraris a. v. inde 38.

— — — Sed tempore festo
alterius populi rapienda occasio cunctis
visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
sentirent positis ad templa et compita mensis
pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
septimus interdum sol invenit. Horrida sane
Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde quod et facilis victoria de madidis et
blaesis atque mero titubantibus. Inde virorum
saltatus nigro tibicine, qualiacunque
unguenta et flores multaeque in fronte coronae:
hinc ieiunum odium. Sed iurgia prima sonare
incipiunt animis ardentibus: haec tuba rixae.
Dein clamore pari concurritur,

et quae sequuntur. Una perpetuaque narrationis serie occasionem certaminis poeta describere, convivas ad septimam saepe lucem discumbentes, ad tibicinem saltantes, unctos ac floribus coronatos, a sobria hostium turba ad rixam iurgiis excitatos tanquam ob oculos ponere, indeque ad ipsius pugnae turbulentum procedere initium dici posset, si deessent haec v. 44–48.

— — — Horrida sane
Aegyptus; sed luxuria, quantum ipse notavi,
barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde quod et facilis victoria de madidis et
blaesis atque mero titubantibus,

quibus egregium hunc narrationis tenorem misere interruptum habemus. Quibus relictis, ut lenissime dicam, impedita sunt omnia, omissis procedunt optime. Sed vide mihi frigidam pii monachi exclamationem: *Horrida sane Aegyptus!* cui ne respondet quidem antithesis: *sed luxuria, quantum ipse notavi, barbara famoso non cedit turba Canopo*, nisi forte Io. Ang. Britannico et Eilhardo Lubino credideris, *Aegyptum* dici posse eam Aegypti partem, de qua sermo sit, id est Ombos, licet continuo comparatio sequatur Canopi. Taceo enim, horridos per totum certamen Tentyritas magis, quam Ombitas, se praebuisse. Et illam quidem difficultatem una infelici coniectura Schraderus, una item Marklandus, sex novis rara cum liberalitate Rupertius

removere conatus est, qui tamen mox in editione minore acquievit in lectione vulgata, primumque totam Aegyptum, deinde solos Ombitas intellexit. Quod si quis forte defendendum suscipiat, hunc sic fere reddere oportebit sententiae rationem: *Horrida sane Aegyptus est, et talis, in qua gentem tam luxuriosam vix exspectes: sed est tamen luxuriosissima barbara, de qua loquimur, turba.* Verum enimvero non modo per se falsissimum est, a nulla facile natione Aegyptiaca tantam exspectari posse luxuriam, sed repugnat etiam Canopi mentio. Ego facile adducor, ut principio solam putem margini adscriptam fuisse exclamationem: *Horrida sane Aegyptus!* idque ab homine, qui totam, quam nominat, intellexerit etiam Aegyptum, praecipue tamen Tentyra, ut ipse Iuvenalis mox v. 115. seq.

— — *Maeotide saevior ara*
Aegyptus;

deinde ab alio quodam adiectam, quae hinc sequitur, de Ombitis esse sententiam. Ac nescio, an tertio alicui tribuenda sint haec postrema: *Adde quod et facilis victoria de madidis et blaesis atque mero titubantibus.* Haec certe tam parum cohaerent cum antecedentibus, ut ab eodem auctore haud facile potuerint proficisci. Non dubito tamen, quin unus aliquis versificator, idem, ni fallor, qui haec ultima addidit, numeris incluserit omnia. Et is quidem aut de suo adiecisse videri debet verba *quantum ipse*

notavi, aut certe *notavi* scripsisse ex ipsius Iuvenalis persona pro *notavit*. Conditum est igitur totum emblema ab uno homine, sed ex duabus, uti videtur, sententiolis in margine repertis, ad hexametros ab se redactis, auctisque suo ipsius additamento. Veruntamen ut nil nisi unius imperitiam prodat incongrua et dissoluta oratio: illud certe confido facile nobis concessum iri, ab auctore Satirae hanc esse alienissimam. Proinde eiectis monasticis istis versiculis Iuvenali haec sola relinquamus:

— — — *Sed tempore festo*
alterius populi rapienda occasio cunctis
visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
sentirent positis ad templa et compita mensis
pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
septimus interdum sol invenit. Inde virorum
saltatus nigro tibicine, qualiacunque
unguenta et flores multaeque in fronte coronae:
hinc ieiunum odium. Sed iurgia prima sonare
incipiunt animis ardentibus: haec tuba rixae.
Dein clamore pari concurritur.

Rem certam ducerem, etiamsi nulla praeterea apud Iuvenalem interpolationis monasticae essent exempla.

Sed video nunc, fore, qui inconstantiae me accusent. Dixi enim, ex ea, de qua loquimur, Satira ortum esse exsilii commentum, et tamen verba illa: *quantum ipse notavi*, quae sola, si Iuvenalis

essent, ipsum in Aegypto versatum esse ostenderent, monacho assignavi, cui cognita iam fuerit eadem illa exsilii fabula. Sed facili negotio ex his, si quae sunt, angustiis me expediam. Quaero enim, quidni iam tum, quum nondum in hac Satira legerentur verba ista, idem potuerint sentire grammatici, ac recentiore memoria I. Lipsius Epist. Quaest. IV, 20. qui quidem: *lustratio*, inquit, *Aegypti causam illi praebuit scribendae Satirae de immani superstitione Aegyptiorum. Nisi hoc fuisset, cur non pariter aliquid de Hispanis aut Germanis?* Tametsi enim respondere in promptu est, apud alios populos tam insigne feritatis specimen tunc temporis non exstitisse, et esse etiam aliquid poetae arbitrio tribuendum: satis tamen vulgaris et est et semper fuit istiusmodi argumentandi ratio. Accedit, quod aliunde grammatici persuasum sibi habebant, exsulasse Iuvenalem eo ipso tempore, quo Tentyritae Ombitas erant adorti, exsulemque scripsisse Satiram illam. In quo si verum vidissent, iidem ne reprehendi quidem possent, Aegyptum fuisse perhibentes exsilii locum, et praesentem in pugna Iuvenalem. Quamobrem maneo in sententia mea, e Satira ista omnem fluxisse famam non de exsilio quidem omnino, sed de exsilio Aegyptiaco, quantumvis Iuvenali adiudicanda adeoque fama illa posteriora habenda sint ea Satirae verba, quibus exemptis nihil relinquitur, unde unquam in Aegypto versatum esse auctorem rite concludas.

Reliquum est, ut ex eadem Satira Iuvenalem ne potuisse quidem demonstrem aut praesentem in extrema Aegypti parte, aut etiam inde reducem hoc facere carmen. Id autem tam certa ratione doceri potest, ut, si interpolatus non esset versus, ubi ipse poeta notasse dicitur Ombitarum luxuriam, in manifesto mendacio teneremus poetam. Nam quum loquatur Iuvenalis in hac Satira de Ombitis, crocodilos colentibus, qui propterea a Tentyritis, persequentibus cum furore et necantibus eadem animalia, ad pugnam saevissimam fuerint lacessiti: dicuntur hi populi v. 33. *finitimi* et v. 36. *vicini.* At Nilo et quinque nomis seu praefecturis Tentyra distare ab Ombis, egregie demonstravit Salmasius Exerc. Plin. p. 518. et 521. Addidit idem, proelium committi non potuisse *super moenia Copti*, uti narratur v. 28. nam Ombos quidem super, sed Tentyra infra Copton sita esse. Sed Tentyritae in Ombitas impetum fecisse traduntur inter solemnes epulas, in ipsis igitur Ombis: ergo pugnatum est prope Ombos, *super moenia Copti.* Non male res exponitur a Rupertio, ut tanto minus intelligam, quid sibi velint Achaintrii nugae de Contracopto. Quum vero hac in re erraverit summus Salmasius, illud tamen omnes agnoscant necesse est, vicinos pronunciari Ombitas ac Tentyritas sine magno errore non potuisse. Et quomodo, quaeso, fieri potuit, ut hi illos, tam longe a se dissitos, propterea, quod

crocodilos hi venerarentur, hostili invaderent impetu, quum tot alia loca, ubi crocodili itidem colerentur, et in his ipsa Crocodilopolis, posita essent inter utramque civitatem? Haec copiose Salmasius et praeclare exposuit; ipse rem ita voluit expedire, ut Iuvenalem Oxyrinchitarum et Cynopolitarum historiam sub Ombitarum ac Tentyritarum nominibus putaret traducere, quod Ombi et Tentyra versum melius inirent, quam Cynopolis et Oxyrinchus. At propterea nulla commutandi nominum fuit necessitas, siquidem aut describi duntaxat situs populorum, aut de nominibus tale quid addi poterat, quale est Horatii illud de Equotutico, Sat. I, 5, 87.

mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,

et quod ibi in scholio ex Lucilio affertur:

— — *Servorum est festu' dies hic,*
quem plane hexametro versu non dicere possis.

Quid? quod trimetrum iambicum immiscere distichis elegiacis, quam nomina mutare, maluerunt Critias apud Hephaest. p. 22. ed. Gaisford.

καὶ νῦν Κλεινίου υἱὸν Ἀθηναῖον στεφανώσω,
Ἀλκιβιάδην νέοισιν ὑμνήσας τρόποις,
οὐ γάρ πως ἦν τοὔνομ' ἐφαρμόζειν ἐλεγείῳ,
νῦν δ' ἐν ἰαμβείῳ κείσεται οὐκ ἀμέτρως,

et auctor Epigrammatis in Brunckii Anal. T. III. p. 304. (Anthol. Palat. T. II. Append. p. 859.):

Νύμφαι κρηναῖαί με συνήρπασαν ἐκ βιότοιο,
καὶ τάχα που τιμῆς εἵνεκα τοῦτ᾽ ἔπαθον,
νηπίη, οὐδὲ δυοῖν ἐτέοιν τέλος ἐξανύσασα,
Φιλησίη τὴν κλῆσιν, Αὐσονὶς γένος.

quos locos inter se contulit Dorvillius ad Charit. p. 258. (326.) laudatus a Leonardo Hotschkide ad Hephaestionis locum. Fac tamen, Iuvenalem metri causa veris nominibus alia substituere voluisse. Nonne tum certe, hoc se fecisse, significare debebat, ne mentiri videretur in re, quam non fictam, ut fabulas de Laestrygonibus atque Cyclopibus, sed vere gestam esse affirmat? Nonne etiam gesta res esse dicitur super moenia Copti, ubi re vera sitae sunt Ombi, Cynopolis et Oxyrinchus non item? Nonne denique in horum locum saltem substitui debebant populi vere finitimi? Nec sane huic rationi ipse multum tribuisse videtur vir summus. *Haec aliter*, inquit, *expediant alii, virique per me sunto.* Post Salmasium eadem difficultas crux fuit philologorum. Et Brottierum quidem, qui defendere aggressus est Iuvenalem adversus Dusaulxium (ipsius enim Salmasii disputatio ne commemoratur quidem a noviciis istis interpretibus), meliusque poetae causam egit, quam Wesselingius ad Antonini Aug. Itin. p. 159. facile tamen alii redarguerunt, laudati Achaintrio. Sed hos ipsos, quum v. 35. *Coptos* legendum censent pro *Ombos*, male hanc nominis formam statuere, *Copti*, *Coptorum*, ipse sensisse vi-

detur Achaintrius, qui firmari putat hanc coniecturam vitiosis qu busdam codicum lectionibus, *Copus*, *Combos* et *Combus*, non reputans, sic nihilo certe difficilius depravari potuisse lectionem receptam. Quidni vero fatemur, perversam topographiae rationem non librariis deberi, sed ipsi poetae? Tentyritas irruisse in propiorem aliquam gentem, perturbatam ab ipso poeta cum Ombitis, omnium populorum crocodilos colentium in vulgus notissimo? Quid fuit, cur hoc tam incredibile Salmasio videretur? Noluitne id credere, in quovis magno poeta necessario requiri ratus superioris Aegypti interiorem topographiae cognitionem? Minime gentium: immo quod praesentem ibi antea certe Iuvenalem fuisse arbitrabatur. Dicit enim p. 318. seq. *Haec magnam admirationem merito mihi movent, tam longe dissita loca adeo vicina constitui, ab eo praesertim, qui regionem illam perlustrasse profiteatur:*

— — sed luxuria, quantum ipse notavi,
barbara famoso non cedit turba Canopo.

Sed in re praesenti fuisse, quum illa agerentur, vetus interpres testatur ad illud: nos miranda quidem. Sic enim notat: de se dicit Iuvenalis, quia in Aegypto militem tenuit, et ea promittit se relaturum, quae ipse vidit. Quibus in verbis nihil mendi est. Dicit militem tenuisse, qui militem rexit, qui militibus praefuit. Nam, ut refert au-

ctor vetus Vitae Iuvenalis, per honorem militiae, quanquam octogenarius, Urbe summotus missusque ad praefecturam cohortis in extrema parte tendentis Aegypti. Vides, quanto opere Salmasius urgeat praesentiam Iuvenalis, in qua omnia hic vertuntur. Discedit quidem deinde p. 321. E. F. ab illo scholiasta, sed ita tantummodo, ut praesentem ponat poetam non exsulem, sed antea iter nescio quod facientem. Hoc autem ad iudicium de errore topographico ferendum tantundem est. Quid vero, si versus illi: *sed luxuria* etc. non sunt Iuvenalis? si Probi non alia fuit sententia, quam scholiastae opinio illa, ipsi Salmasio improbata, minimeque Probus de posteriore, ut voluit Salmasius, relegatione aut cogitavit aut recte potuit cogitare? si non solum manifesto falsae sunt reliquae omnes de exsilio narrationes, sed quaestiones grammaticorum sapiunt omnes istae fabellae, tam ob insignem fictionum varietatem, quam ob ipsum fingendi modum? quae omnia sic se habere, abunde nos docuisse speramus. Quis est, obsecro, qui, haec si concedat, sic statuere nolit: Iuvenalem nec tum, quum scriberet Satiram XV. neque antea unquam in Aegypto esse versatum, de rebus autem, quas ibi gestas retulerit, famam secutum, quae Romam pervenerit, parum sollicitum de topographia superioris Aegypti? Ego non possum facere, quin huc referam Hermanni illud ad Hom. Hymn. in Apoll. v. 424.

quod dictum de solo ordine in itineribus describendis, ad omnem geographiae rationem, dictum de solis epicis, ad omnes poetas potest transferri: *Qui quum de locis narrabant, quos ipsi vidissent, non poterant in ordine itineris peccare. Quid autem, si quam regionem non nisi ex aliorum narrationibus — — cognitam habebant? — — An tum quoque exigemus, ne quid praeter ordinem commemoretur? Absit.* Quodsi Iuvenalis, quem post scriptam Satiram XV. non exsulasse, supra vidimus, idem nec tum fuit, quum scripsit Satiram, neque antea fuerat in Aegypto: non iam nobis verendum est, ne triumphum, ut aiunt, ante victoriam canere videamur, si actum esse dicamus de eius exsilio et quocunque in haec loca itinere.

Quae quum ita sint, absoluta iam est pars praecipua quaestionis nostrae, et progrediendum nobis ad pauca illa, quae praeterea dicere habemus de Vita poetae. In his autem quum temporum ordinem nos sequi oporteat, peropportunum nobis illud accidit, quod singulari de aetate Iuvenalis disputatione nunc possumus supersedere. Nam si nihili est eius exsilium, non est, quod Probianae de eius aetate adversetur sententiae, ex qua octogenarium fuisse vidimus consule Q. Iunio Rustico, a. U. 872.

Natus est igitur Iuvenalis Caii Caesaris anno imperii secundo aut tertio, ab U. C. 792. Caligula II. et L. Apronio Caesiano COSS. Fuit autem Aquinas, id quod iam veteres colligebant e Sat. III.

extr. Et huc pertinet praeter Vitas ante allatas scholium Pithoei ad Sat. I. princip. Sed ibi iunctum habes cum vera sententia commentum ridiculum, hoc modo: *Iuvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt.* Quid? Gallum propter corporis magnitudinem? Istiusmodi ne iocus quidem cuiquam facile vel monacho ineptissimo in mentem venire potuit, nisi alius quis error excogitando tali commento occasionem praeberet. Et unde, obsecro, cognita fuit Iuvenalis statura? Ne multa, *Aquitanum* aliquando dictum puto poetam calami vitio, propagatum id postea ab imperitis, et inde natum iocularem istum de Gallica Iuvenalis origine errorem, explicatum a scholiasta illo ex procera statura, a semet ipso temere Iuvenali afficta. Certe *Aquitani* appellatio non longius recedit ab *Aquinatis*, quam *Arpinatis*, quemadmodum vitiose in codicibus quibusdam vocatur Iuvenalis. Fuit idem, ut ait Probus, *libertini locupletis incertum filius an alumnus.* At nihilo minus, alumnum fuisse, certum pronunciat Sabbathierus in Diction. T. XXIV. p. 184. filium, Achaintrius in sua Iuvenalis Vita, Satirarum editionis Tomo II. addita, p. 25. uterque, quod miror, provocans ad formam nominis *Decimi Iunii Iuvenalis.* Ille autem, si sententiam eius sum assecutus (brevissime enim loquitur), ex gente Iunia oriundum putat: hic, *ex maioribus eius unum illustri cuidam e Iuniorum gente, fortasse D. Iunio Al-*

bino Bruto praetori, inter Caesaris percussores praecipuo, (hoc demum est ariolari!) *servum datum, aut domi vernam natum, ab hero suo manumissum ac ditatum, nomen patroni, sicuti mos ferret, accepisse, atque posteris suis transmisisse.* Illa potest vera esse, haec falsa ratio est, nisi id, quod de uno e Iuvenalis maioribus Achaintrius arbitratur, ad ipsum transferas eius parentem. Nam si avus eius aut proavus atavusve libertus fuisset patroni cuiusdam e gente Iunia, huiusque nomen accepisset: ingenuus, non libertinus, fuisset pater poetae, sicut etiam Iuvenalis, si patre natus est libertino, ipse tamen ingenuus fuit, non *ordinis libertinorum*, ut falso tradidit auctor Vitae in cod. Kulenkamp. repertae. Vide Massonum in Vita Horatii p. 9. et Suetonium in Claud. c. 24. ibique interpretes, imprimis Oudendorpium, unde corrigenda reliqua Massoni disputatio. Ergo ambiguum est hoc unum, fueritne pater Iuvenalis ipse ex gente Iunia oriundus, an libertus alicuius hac ex gente patroni, cuius, quum manumitteretur, nomen acciperet. Alterutrum autem pro arbitrio praeferre, quum ipsi veteres rem compertam non habuerint, non est eorum, qui critico munere religiose funguntur. De praenomine Iuvenalis deque monastico *Ethici* cognomine collecta omnia iam in Fabricii Bibl. Lat. T. I. p. 557. seq. ed. Ern. Sed nescio, quid permoverit Fabricium, ut hoc loco afferret Honorii Augustodunensis et Petri

Blaesensis locos, afferentium Umbricii verba apud Iuvenalem, qui hunc loquentem induxit Sat. III, 21. seqq. nisi forte vir ceteroquin accuratissimus *Umbricium* ab istis appellari credidit ipsum Iuvenalem.

Aquino quum Romam se contulisset, sua virtute venisse dicitur ad equestrem dignitatem. Quanquam hoc nemo tradidit nisi auctor eiusdem Vitae, ubi idem ad Scotos fertur relegatus esse, scriptor igitur fidei admodum suspectae. Quin etiam simpliciter reiiciendam putarem hanc famam, si eodem tempore Iuvenalis, quo Urbe summoveretur, equestri dignitate diceretur esse donatus, quo scilicet similior esset ipsius ac Statii conditio. Ut nunc est, in medio rem relinquo. Hoc certius, declamasse Iuvenalem priore aetate, ut solebant per haec tempora ii quoque, qui scholae aut foro se non praeparabant. Atque ita ipse etiam, ut Probus auctor est, declamavit animi causa, quippe locupletis libertini seu filius sive alumnus, de re domestica haud sollicitus, paucis etiam contentus, atque antiquae frugalitatis laudator et imitator. Hoc unum enim efficitur Satira XI. ex qua non satis considerate Achaintrius p. 24. non pauperem quidem, nec tamen divitem fuisse coegit. Declamasse se, profitetur ipse Sat. I, 15. seqq.

— — — — et nos
consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
dormiret,

eodemque recte refertur Martialis illud, Epigr. VII, 90. init.

De nostro facunde tibi Iuvenalis agello
Saturnalitias mittimus, ecce, nuces,

scriptum sub Domitiano, quo regnante collectus est hic Epigrammatum liber, aut antea, cum sola adhuc facundiae laude clarus esset Iuvenalis. Inchoata ante Vespasianum haec studia rhetorica deserere noluit Vespasiano ac Tito Imperatoribus, quum coercerentur scelera et flagitia, quae ipsi moverant indignationem; neque unquam, opinor, deseruisset, nisi funestum Domitiani imperium renovasset terribilem priorum Neronis temporum, quae iuvenis expertus erat, imaginem. Sed licet ab Ovidio inde haec declamandi exercitatio in totam poesin declamatorium quendam colorem induxerit; qua de re omnium optime disseruit Wolfius, vir summus, in praefatione ad Marcellianam p. XXXII. seqq. errant tamen vehementer, qui Iuvenalem tum quoque, quum ad scribendas Satiras accessisset, declamatorem potius quam poetam fuisse dictitant; quod iudicium Gallicorum hominum nuper apud nostrates quoque percrebuit. Nimirum vitae morumque imaginem, qualem omnino exhibet satira Romanorum, descriptionis arte

reddi posse poeticam, et hactenus poematum nomine dignos esse Sermones Horatianos, quamvis exemptos e poematum numero ab ipso auctore, nemo nunc est paullo peritior, qui neget: sed est, qui dicat, si indignatio odiumque vitiorum atque stultitiae, ut apud Iuvenalem, versum faciat, hoc, ut sit viri boni, a poeta tamen esse alienum. Num igitur talis indignatio magis abhorret a poesi, quam Archilochius furor? An forte etiam Archilochi iambos poemata fuisse negabimus? Quanquam erunt fortasse, qui ita pronunciare non erubescant, puram nescio quam postulantes poeticam pulchritudinem, quae nulla unquam fuit nisi in cerebro quorundam philosophorum. Quid? Nonne eadem illa, qua Iuvenalis, indignatione commoti famosos homines notabant veteris comoediae poetae? Nonne Aristophanis, ut hoc utar, Equites optime nuper vocata est dramatica quaedam Philippica, perperam vero ob nimiam scilicet severitatem in summa ad excitandam indignationem vi rhetorica et ob significationem consilii nimis Archilochiam vituperata? Enimvero ipse Comicus iure meritoque id maxime semper sibi gloriae duxit, quod idem ipse effecisset poemate illo, ac forenses accusatores orationibus, poenam demagogi a se accusati; idque non modo salva Comoediae suae laude poetica, sed per hanc ipsam consecutum se esse putavit. Et secus statuere perinde est, ac si quis ad bellum cohortantem pla-

cere tantum poetam, oratorem re vera animum addere auditoribus dixerit oportere. Iam vero, ut paullo altius rem repetamus, ab antiquae comoediae poetis totus teste Horatio pendebat Lucilius, a Lucilio posteriores satirici. Nam quod summus Ios. Scaliger in Primis Scaligeranis p. 95. tragicas vocat Satiras Iuvenalis, et ita distinguit ab Horatii comicis: acute dictum est, cui cave plus tribuas, quam ipse auctor videretur concessurus fuisse. Ipsum enim si quis serio sententiam rogasset, sine dubio fassus esset, tragicam fere dici quodammodo posse Iuvenalis carminum materiam, tragicam etiam orationis granditatem, sed minime tragicum ipsum Satirarum genus, nec posse de poetici generis natura accipi Iuvenalis verba VI, 634. seqq.

Fingimus haec, altum Satira sumente cothurnum,
scilicet, et finem egressi legemque priorum;
grande Sophocleum carmen bacchamur hiatu,
montibus ignotum Rutulis coeloque Latino!

et XV, 29. seqq.

nos vulgi scelus (referemus) *et cunctis graviora cothurnis.*
Nam scelus a Pyrrha, quanquam omnia syrmata volvas,
nullus apud tragicos populus facit.

Lucilianae sunt omnes omnium Satirae, cognataeque cum vetere Atticorum comoedia, nec genere, sed modo inter se differunt, pro cuiusque poetae et aetatis, cuius effigies describenda erat, ingenio.

Qua de re bene monuit Diomedes III. p. 482. ed. Putsch. his verbis: *Satira est carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum; quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius.* De Lucilio autem, de quo Iuvenalis I, 165. seqq.

> *Ense velut stricto quoties Lucilius ardens*
> *infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est*
> *criminibus, tacita sudant praecordia culpa,*

pariterque de ipso Iuvenale eadem valent, quae de Cratino dicit Platonius p. XI. ed. Kust. *αὐστηρὸς μὲν ταῖς λοιδορίαις ἐστίν. οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιτιμήσεως διὰ ταύτης ἀναιρῶν, ἀλλ' ἁπλῶς καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων.* Etsi enim, ut Aristophanes inter Cratinum et Eupolin, ita Iuvenalis inter Lucilium et Horatium hactenus medius fuit, quatenus absterserat inconditam Lucilii asperitatem: noluit tamen nisi rarissime, ac ne potuit quidem in tanta temporum atrocitate, alterius acerbitatem et severitatem suavitate alterius et leporibus temperare. Iam vero quum omnino careret satira fictionum et sermonis ingeniosa audacia, chori cantionibus et parabasibus, quibus imprimis se extulit veteris comoediae poetica virtus, quumque haec ne apud Horatium quidem satis compensarentur rerum ordine

aeque libero arteque dispositionis aeque feliciter dissimulata: non potuit non hactenus satira ad novam comoediam, quae speculum consuetudinis fuit, propius accedere. Et hoc quidem quum de omnibus, tum praecipue de Horatio valet, quem omnes consentiunt etiam lenitate sua ac tenui dicendi genere similiorem fuisse novae comoediae, comitemque sibi in villa sua praeter Eupolin suum non temere etiam elegisse Menandrum. Severum Iuvenalis Satirarum genus inter omnes convenit, ut opinor, ne admittere quidem ubique demissum illud dicendi genus liberumque orationis flumen, quo tam leviter decurrunt Horatiani Sermones, ideoque illi vel maxime consentaneam esse non modo gravitatem illam, quam assumptam ex tragicis suo generi accommodarant poetae heroici, verum etiam copiam ornatumque oratorium quendam, ac dispositionem quoque minus liberam interdum ac prope rhetoricam. Quodsi reliquis fere poetis obfuit rhetorica, quae tum vigebat, disciplina, profuit eadem Iuvenali in suo genere, poetico quidem illo, sed oratoriae arti finitimo. Quicquid autem declamatoriae exercitationi debuit Iuvenalis, coniunctum habuit cum ingenio vere poetico, cuius praestantiam agnoscas necesse est, modo sublimitatem potius, quam venustatem, quaeras in eo poeta, qui utile amaro, non dulci, miscuit, eaque dicendi vehementia valuit et acrimonia, quam δεινότητα Graeci vocant. Declama-

torem qui crepant, eorum imperitiam alio modo castigare solet Heinrichius quoque, cuius exstant etiam hac de re monita in scripto academico Kiliensi a. 1810. p. 7. At, si profuit Iuvenali disciplina rhetorica, magni tamen nos scire interest, declamasse eum ad mediam fere aetatem, et facundiae laude clarum fuisse. Ita est (quis neget?): et propter hoc ipsum de iis, quae rhetorem produnt in Satiris, hoc loco disputari oportuit. Fatemur enim, rhetorem prodere multa, sed ita, ut hoc nomine poetam non liceat reprehendere, eique poeticam facultatem abiudicare. Ceterum quibus in schola magistris usus sit, non constat, pridemque explosae sunt nugae de M. Corn. Frontone et Quintiliano praeceptoribus Iuvenalis.

Iam postquam declamavit ad mediam fere aetatem, paucorum versuum Satiram composuit Iuvenalis, quum Domitianus adisset imperium, anno aetatis quadragesimo secundo, qui primus statim Domitiani fuit, ab U. C. 834. L. Flavio Silva Nonio Verrucoso et Cn. Domitio Corbulone COSS. aut paullo post; quam recte dici mediam *fere* seu *ferme* eius aetatem, ante vidimus. Dissimulabat quidem initio Domitianus ingenium suum, eratque per quadriennium fere nec bonum omnino nec malum eius imperium: sed fuit tamen iam tum, quod Iuvenali bilem moveret. Nam quum Papin. Statius magno cum plausu Thebaidem recitaret, sed nihilo mi-

nus non haberet, unde in dies viveret, Agauen, pantomimici dramatis descriptionem quandam, non tragoediam (sic enim interpretanti Heinrichio assentior), Paridi, Domitiani pantomimo, vendere coactus est. Quod ego sic factum existimo, ut histrio non tantum agere in scaena Agauen voluerit, sed sibi ipse inventi laudem vindicare. Nec secus statuere video Dodwellum in Annal. Quintil. § XXXIX. qui: *Obiectat ille*, inquit, *venalia illa poemata emptorum nomine edita, captatosque adeo ab illis alienorum operum honores.* Recte. Quomodo enim dedecori fuisset poetae, seu pauperi seu locupleti, vendere drama suum, nisi auctorem eius haberi pantomimum passus esset? aut cur gratiam poetae pro empto dramate praeter ipsum pretium alioquin histrio relaturus fuisset? Hoc autem fecit ita, ut equestrem Statio dignitatem ac tribunatum semestrem compararet ex Probi et ipsius Iuvenalis interpretatione Salmasiana, Exerc. Plin. p. 419. D. seqq. Quo facto Iuvenalis a brevi in hanc rem statim scribenda Satira temperare sibi non potuit.

Deinde, ut Probi verbis utamur, *hoc genus scripturae industriose excoluit, sed bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus.* Nec dubium est, quin Satirarum, quae etiam nunc exstant, magna ex parte iam sub Domitiano et Nerva primisque Traiani annis iacta sint fundamenta. Tot etiam absolutas iam Satiras fuisse, quum reci-

tare auctor inciperet, ut totum effecerint libellum quendam, cuius tanquam praefatio esset Satira nunc ordine prima, quum hoc totum declarat carmen, tum versus eius 85. seq.

> *Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,*
> *gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.*

Docet enim res ipsa, *libellum* hic non esse unum carmen, de quo haec ne possunt quidem vere praedicari, sed Satirarum volumen iam tum integrum, quanquam postea novis scriptis locupletatum. Sed hunc librum quum recitationi aptaret poeta, *ampliavit Satiras et pleraque mutavit*, ut ait auctor Vitae ex cod. Kulenkamp. descriptae, falsus in eo tantum, quod factum hoc in exsilio esse putat. Quicquid antea scriptum fuerat, tum demum eam in formam, qua hodie exstat, videtur esse redactum, et certo hoc demonstrari potest in Satira quarta. Hanc enim pariter atque secundam scriptam esse paullo post obitum Domitiani, inchoatam fortasse vivo adhuc tyranno, credere suadet *recens scriptoris affectus ex praeteritarum rerum memoria.* Heinrichii haec verba sunt in quartae Satirae Argumento inedito, idemque in scripto academico a. 1810. p. 8. certum videri addidit, Satirarum, quas quidem ediderit Iuvenalis, omnium tempore primam esse habendam, quae ordine secunda est: certe enim quartam post scriptam esse, quanquam secundo ab illa loco habendam.

Nos ut in medio relinquamus, utrum carmen prius poeta sit scribere aggressus, illud saltem concedere non dubitamus, neutrum diu esse post mortem monstri illius inchoatum. Et tamen quartae Satirae eam, quam nunc habemus, recensionem posteriorem esse Satira prima, qua recitanda divulgare carmina sua coepit poeta, documento est quartae illius principium: *Ecce iterum Crispinus.* Crispini enim nulla apud Iuvenalem extra hanc ipsam Satiram mentio est, nisi in prima v. 26. seqq.

Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi,
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
nec sufferre queat maioris pondera gemmae:
difficile est Satiram non scribere.

Unde intelligitur, quartam Satiram in librum, quem recitare vellet Iuvenalis, ita relatam esse, ut exordium ad v. usque 36. quod totum pendet a primis illis Satirae verbis, non novum quidem accesserit (deesse enim ante sine magno carminis detrimento non potuerat), sed penitus tamen sit retractatum. In reliqua eiusdem Satirae parte ceterisque in Satiris ante factum recitandi initium compositis conspectum nostrum effugiunt similis διασκευῆς vestigia (in octavae enim v. 147. 151. et 167. ipsius Iuvenalis solam esse lectionem *Lateranus*, monasticam alteram *Damasippus*, docebit is ipse, qui aliquando utramque Iuvenali tribuere maluerat); nec mirum sane: sed

magis tamen minusve reficta tum esse cuncta priora carmina, credibile est. Sunt vero priora haec carmina praeter duo illa quaedam etiam ex iis, quorum incerta tempora sunt; quoniam iustum volumen collectum iam erat, quum recitare auctor inciperet: unumque, ni fallor, eorum, quorum tempora accuratius tenemus. Ignotum est autem, quando scriptae sint Satirae III. V. VI. (siquidem v. 409. terrae motus significatur a muliercula temere fictus, ut bene viderunt postremi interpretes, referentes totum hunc locum ad Vespasiani tempora, quo versum 407. retulerat iam Grangaeus) IX. X. (quae quo tempore composita sit, cogi non posse e v. 236. novo modo demonstrabit futurus editor) XI. XII. et XIV. Octavam pariter ac primam non multo post tertium Traiani consulatum a. U. 853. conditam esse, constat ex Marii Prisci mentione utrobique iniecta, de qua supra expositum. Et illam quidem Satiram receptam iam puto in corpus illud, cuius haec tanquam praefatio fuit. Namque illic *nuper* Marius discinxisse dicitur Afros, VIII, 120. Sic autem potuit quidem loqui poeta post quorundam annorum spatium, minime vero post longam annorum seriem. Atqui hanc alteram Satiram, ordine primam primumque recitatam, ante vidimus paucis quidem, sed pluribus tamen post Marii damnationem annis videri compositam, circa sexennium postea, poetae aetatis annum sexagesimum septimum. Ergo nec post-

ea conscriptam esse alteram illam, octavam, si non certum plane, at verisimile est.

Mox magna frequentia, sic pergit Probus, *magnoque successu bis ac ter* (id est haud raro) *auditus est, ut ea quoque, quae prima fecerat, inferciret novis scriptis*:

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
et Bareas, tu nobilium magna atria curas:
praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Scriptam esse docui, cui haec inserta sunt, Satiram VII. eodem anno, quo Romam venerat verno tempore Hadrianus, a. U. 871. Hadriano II. et Tib. Claudio Fusco Alex. COSS. poetae aetatis septuagesimo nono, duodecimo ferme post primam eiusdem recitationem. Interea sine dubio quaedam fecerat illorum carminum, quae non liquet quando composita sint; neque etiam limare carmina aut tum desierat, aut unquam desiit. Cuius rei satis certum vestigium in ipsa Sat. VII. detexit Heinrichius in scripto academico a. 1806. p. 14. principium versus 139. aliis in libris sic incipientis: *Fidimus eloquio?* in aliis ita: *Ut redeant veteres.* Aperte enim ipse poeta hoc alterum primum scripserat, deinde vero alterum illud reposuit, eoque nervosam magis validamque fecit orationem. Nec vero ex hac una cor-

rectione concludere ausim, eodem modo, quo retractavit poeta quartam Satiram et cetera, ut videtur, priora carmina sua, propter hoc ipsum adhuc rudiora, retractatam etiam esse Satiram VII. et alias tum compositas, quum ad summam satiricae poesis perfectionem Iuvenalis iam pervenisset. Videlicet aliud est retractare, aliud limare carmina. Quum septima recitaretur Satira, *erat in deliciis aulae histrio, multique fautorum eius quotidie provehebantur. Venit ergo Iuvenalis in suspicionem, quasi tempora figurate notasset, ac statim poena affectus est, quae levi atque ioculari delicto par esset.* Haec Probi sunt verba, sed, ut res postulabat, omissa exsilii mentione mutata. Ceterum quis fuerit histrio iste, hodie non magis constituas licet, quam quae fuerit poena. Nam etsi per se haudquaquam est incredibile, quod putat Achaintrius in sua Iuvenalis Vita p. 26. famosum Antinoum illum, qui initio servus fuerat, deinde, Hadriani factus amasius, apud hunc plurimum potuit, mortuusque incredibili insania ab eodem est consecratus, histrioniam exercuisse, priusquam in aula viveret: hoc tamen vix tacuissent scriptores Christiani, gentilibus toties exprobrantes deum istum novicium. Pylades autem, de quo cogitavit Tillemontius in Hist. Imp. T. II. p. 191. Traiani, non Hadriani, saltator fuit. Anno post septimam Satiram scriptam esse decimam tertiam, ostendit Lipsius in Epistol. Quaest. IV, 20. ex huius

Sat. v. 15. seq. de Calvino, ad quem scriptum carmen:

> — — *stupet haec, qui iam post terga reliquit*
> *sexaginta annos, Fonteio consule natus?*

Ubi qui etiam post Lipsium, atque adeo post Salmasium et Dodwellum, de C. Fonteio C. F. Capitone, cum Germanico Caesare a. U. 765. Consule, somniarunt, ideoque in Vespasiani aetate Satiram posuerunt, aut qui probabilem, nec tamen certam coniecturam vocavit unice veram certissimamque Lipsii sententiam, huc referentis L. Fonteium Capitonem, cum C. Vipstano Aproniano Consulem a. U. 812. hos nunc saltem nostra disputatione de exsilio et aetate Iuvenalis erroris ita convictos esse speramus, ut nihil opus sit addere aliud argumentum. Iam vero a posteriore illo Fonteio sexaginta anni numerantur ad annum 872. proximum post scriptam Sat. VII. At, inquiunt, numerandi sunt non sexaginta, sed unus amplius, quum Calvinus *iam post terga reliquerit sexaginta annos.* Possunt sane unus et sexaginta, possunt etiam plures numerari: sed scire velim, cur debeant. Nonne satis est scriptam censere Satiram post Calvini diem natalem eodem anno? Et sic statuendum puto propterea, quod senex, quem haec ipsa disputatio nostra sub laeto Hadriani imperio ita continuasse declarat studia sua poetica, ut ultimis vitae suae tribus annis

totidem pangeret nova carmina, nullum ex his annis sine Satira praetermisisse, ac singulas potius singulis, quam unam primo, duas tertio Hadriani anno composuisse videri debet. Aliter fateor, iudicare debebant, qui medio anno, cui nos cum Lipsio vindicamus Satiram illam, exsulasse poetam arbitrabantur: sed ex vana opinione vanum ducitur argumentum. Scripsit autem Iuvenalis postero anno, ab U. C. 873. L. Catilio Severo et L. Aurelio Fulvo COSS. Satiram XV. obiitque proximo anno, aetatis suae altero et octuagesimo, L. Annio Vero II. et Aurelio Augurino COSS. siquidem vera sunt, quae supra de hac ultima Iuvenalis Satira eiusdemque morte uberius sunt disputata. Praetereo decimam sextam, ut spuriam.

Sunt, quae his addi possint, veluti de consuetudine poetae ad ignobiles aut etiam ex parte fictos fortasse homines scribendi Satiras, de simultate, quae inter Iuvenalem et Quintilianum intercessisse visa Spaldingio est, neutrius de altero locum a se tractatum recte intelligenti, et si qua sunt alia non tam trita et pervulgata, ut exspectari in Vitae examine critico omnino nequeant. Sed talia, quae suppleri a quovis perfacile poterunt, desiderari malo, quam anxie conquirendis et cum pulvisculo, ut aiunt, excutiendis omnibus, quae ullo modo huc trahi possunt, movere fastidium.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 2. v. 8. a fine l. *narratio* pro *notitia.*
— 14. v. 9. a fine l. *mentione* pro *relatione.*
— 21. v. 12. a fine post *pertinere* adde: *Neque alio referendum* οὕτως *cum participio iunctum, quod rectius, quam illud* εἶτα*, cuius non eadem plane vis est, a Cluentianae orationis interpretibus afferri poterat. Et hactenus quidem assentior Bremio ad Nepotis Alcibiad. IV, 2. non item in eo, quod et Graecae particulae* οὕτως *et Latinae* ita *vel* sic *hoc modo usurpatae temporis aliquam significationem vindicare conatur.*
— 22. v. ult. l. *seu verum quaeris* pro *sive verum quaeras.*
— 24. v. 5. — 3. a fine del. *Pessima — statim.*
Ibid. v. 2. a fine p. 26. v. 4. et 5. ab init. et p. 27. v. 3. et 2. a fine l. *ex mentis aegritudine simul obiit.*
P. 25. v. 8. — 14. ab init. pro: *Deinde — erat*, reponendum: *Ceterum simul pro statim dictum ex Caesare de B. C. I, 39. extr. et aliunde defendi poterit. Ex autem bis positum non minus hoc loco ferendum est, quam tot aliis etiam optimorum scriptorum, veluti Quintiliani* I. *O. X, 1, 34.*
Ibidem v. 4. a fine post *alia* adde: *Quin etiam nescio, an ne in Tacito quidem Annal. I,* 28. *spernendum sit, quod ante Pichenam, improbante tamen iam Lipsio, legebatur: in vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt. Quanquam haud equidem is sum, qui idem putem vigiliis et in vigiliis se inserere. Immo se inserunt per se accipiendum, et explicandum: militibus se inserunt, in autem cum ablativo locum significat, ubi, id est in cuius aliquam partem, verba illa inseruisse dicitur imperator. Non ergo alia ratio est, ut falso ad Tacitum affirmat Ernestius, formulae abiicere aliquid alicubi, eodem modo diversae ab altera, abiicere aliquid aliquo, et similium.*
— 28. v. 7. ab init. del. comma post *sua.*
— 30. v. 1. ab init. l. *posteriorem* pro *postremum.*
— 37. v. 13. ab init. l. *quid* pro *qui.*
— 51. v. 11. ab init. l. q. transversa lineola transfixum pro *q.* reponatur.
Ibid. v. 4. a fine punctum cum commate permutandum post *causa.*
— 52. v. 3. ab init. l. *ne* pro *nec.*

P. 57. v. 5. a fine l. *splendido* pro *splendide.*
— 58. v. 3. ab init. post *T. I.* adde: *p.* 376. *seqq.*
Ibid. v. 6. ab init. l. *editae in* pro *insertae.*
P. 60. v. 10. ab init. del. lineola.
— 62. v. 9. a. fine comma ponend. post *Probus.*
— 64. v. 1. ab init. l. et pro *et.*
Ibid. v. 14. ab init. l. τὴν pro τήν.
P. 63. v. 9. a fine l. *Hibi* pro *Hibe.*
— 66. v. 11. ab init. post *probaret* supplendum: *Ceterum Graeca ista genitivorum forma, Oaseos, Sosteos, Thaubasteos, ut apud antiquiores inaudita, ita constans est in hac Notitia, eiusque exempla vel ex hoc uno monumento permulta adiici poterunt paucis illis, iisque ex parte suspectis, quae nuperrime sola adhuc reperta dixit Conr. Leop. Schneiderus in locupletissima ceteroquin et multis nominibus eximia Grammat. Lat. P. II. Vol. I. p.* 286.
— 69. v. 10. a fine comma add. post *unum.*
Ibid. v. 5. a fine comma pon. post *restat.*
Ibid. v. 2. a. fine del. comma post *quoque.*
P. 70. v. 4. ab init. semicolon in comma mutandum.
— 73. v. 6. ab init. l. *praeposita* pro *praemissa.*
Ibid. v. 8. ab init. l. *aliis appellatur* pro aliis appellatur.
P. 75. v. 4. ab init. scr. *p.* pro *q.*
Ibid. v. 12. ab init. post *collega* add. *et ita fictus.*
P. 76. v. 13. ab init. post *imperante* semicolon ponendum.
— 77. v. 15. ab init. scr. *iccirco* pro *idcirco.*
— 78. v. 15. ab init. l. *VI.* pro *YI.*
— 79. v. 7. ab init. l. *relegati* pro *legati.*
Ibid. v. 10. ab init. scr. *vixisse* pro *vixisisse.*
P. 80. v. 8. ab init. comma ponend. post *Iuvenalis.*
Ibid. v. 9. ab init. l. *responsum* pro *reponsum.*
P. 97. v. 13. ab init. l. *alioquin* pro *alioqui.*
— 100. v. 6. ab init. del comma post *nihil.*
— 111. v. 4. a fine l. *abiudicanda* pro *adiudicanda.*

Leviora, et in his etiam vocabula quaedam male divisa, consulto praeterii.





